HIPPOCRATIS APHORISMI,

Cum GVILIELMI PLANTII Latina interpretatione,

ET

Ioannis Lygæi luculenta eorundem Paraphrasi.

Additæ sunt ad calcem insigniores aliquot Cornelij Celsi sententiæ.



EXCVDEBAT
IACOBVS STOER,
M. D. XCI.



BENEVOLO LECTORI.



QVAM tenue & exiguum sit, beneuole Lector, quod tibi aliquãdo nauare possum probè intelligo: quod tamen efficere possum, non committã in eo vt diligentiam nostram requiras. Conquerebantur amici quamplurimi, annotationes meas in Hippocratis Aphorismos inscitè ac mendosè excusas, & iure quidem: multa enim in his omissa, multa falsò supposita, multò plura transposita, inuersa, superfluè addita, mihi re vera ἀπροσδόκητα, & velut ἀπροσδιόνυσα. Nunc habes secundò impressas à mendis repurgatas, emendatas, & locupletatas. Cæterùm singulis nostris argumentis integrum Aphorismũ tam Græcè quàm Latinè subiecimus, vt nihil hîc desiderare possint Græcæ linguæ periti. Vale.

HIP-

HIPPOCRATIS APHORISMI, SVCCINCTIS Paraphrasibus illustrati, adiecto breui in singulos libros & Aphorismos argumento.

Per Joannem Lygæum medicum.

PRIMI APHORISMORUM libri argumentum.

Primus Aphorismorum liber ad eam medicinæ partem quæ Diætetice dicitur, ferè tot' pertinet. præscribit enim nõ solùm cibi & potus in sanis & ægris, verumetiam exercitationis, rationem.

APHORISMI PRIMI argumentum.

Priore huius sententiæ parte, Aphoristicam & compendiosam doctrinam in arte medica necessariã innuit, quòd vita ipsa humana breuis sit, ars verò longa: posteriore, non tantùm à medico, sed & ab ægris atque ministris quæ conueniunt, requirit.

APHOR. I.



Βίος βραχὺς, ἡ δὲ τέχνη μακρὴ, ὁ δὲ καιρὸς ὀξὺς, ἡ δὲ πεῖρα σφαλερὴ, ἡ δὲ κρίσις χαλεπή. Δεῖ δὲ οὐ μόνον ἑωυτὸν παρέχειν τὰ δέοντα ποιέοντα, ἀλλὰ καὶ τὸν νοσέοντα, καὶ τοὺς παρεόντας, καὶ τὰ ἔξωθεν.

Vita breuis, ars longa, occasio volucris, experientia periculosa, iudicium difficile. Nec verò satis est, medicum suum fecisse officium, nisi suum quoq; ægrotus, suum astãtes faciant, sintque externa ritè comparata.

Vita, vitæque nostrę portio medicinę discẽdæ idonea. *breuis*, arti longæ collata. *Ars*, ipsa medica. *longa*, propter variarum rerũ inuestigationem & cognitionem quã hæc ipsa requirit. *occasio*, medicamẽta adhibendi, atque adeo faciendi aut non faciendi opportunitas. *volucris*, quod corpus humanum assiduè fluat & temporis momento trans-

transmutetur à causis internis & externis. *experientia*, medicorum remediorum, & causarum omnium salubrium faciendorũ, admouendorum, à maioribus nondum limitatorum, neque longo vsu comprobatorum, *periculosa*, propter corporis humani dignitatem. *iudicium*, quo quid faciendum sit inuestigamus. *difficile*, ob sectas & varias in arte medica opiniones, *medicum*, à quo fit actio. *officium*, circa ægrũ ad morbi oppugnationẽ. *ægrotus*, sine quo non fit actio: decet enim eũ opportuna facere, & in omnibus præcipienti medico obtemperare, nihilque intemperantia delinquere. *astantes*, per quos melius ipsa fit actio, sedulò suo fungi officio decet. *externa*, per quæ omnia illa conseruantur, conuenire ac culpa vacare oportet.

APHOR. 2. ARGVM.

Quales humores medicum vacua-

re oporteat ostendit exemplo ab euacuationibus quæ à natura fiunt, desumpto.

ΕΝ τῇσι ταραχῇσι τῆς κοιλίης, καὶ τοῖσιν ἐμέτοισι τοῖσιν αὐτομάτως γινομένοισιν, ἢν μὲν οἷα δεῖ καθαίρεσθαι, καθαίρωνται, ξυμφέρει τε καὶ εὐφόρως φέρουσιν. ἢν δὲ μὴ, τοὐναντίον. οὕτω δὲ καὶ ἡ κενεαγγείη, ἢν μὲν οἵη δεῖ γίγνεσθαι, γίγνηται, ξυμφέρει τε καὶ εὐφόρως φέρουσιν. ἢν δὲ μὴ, τοὐναντίον. ἐπιβλέπειν οὖν δεῖ καὶ χώρην, καὶ ὥρην, καὶ ἡλικίην, καὶ νούσους ἐν ᾗσι δεῖ, ἢ οὔ.

In turbationibus alui & vomitionibus quæ sponte fiunt, si qualia oportet purgentur, confert & facilè ferunt: sin minus, contrà fit. Sic & vasorum deplетio si qualem fieri oportet, fiat, confert & facilè ferunt: sin minus, contrà accidit. Proinde & regionis & temporis & ætatis & morborum habenda est ratio, pro quibus talia vacuari conueniat, néc ne.

In

In turbationibus alui, & deiectionibus per inferna, *& vomitionibus*, nimirum à natura factis, citra medici operam virtute expultrice robusta. *si purgentur*, per commoda & idonea loca, deiectione, vomitione, facultatis expultricis impetu. *confert*, quia morbum abolent aut leuãt. *& facilè ferunt*, ægroti, à vitiosis succis liberati, leuioresque facti. *sin minus*, vitiosi humores vacuẽtur. *contrà fit*, difficulter ferunt ægrotantes euacuationem. *sic & vasorum*, humores superabundantes continentiũ, *depletio*, per vomitũ, aut secessum, aut venæ sectionem, hæmorrhoidas, vrinã, clysteres, vterum, exercitia, & eiusmodi facta. *fiat*, à methodico & rationali in singulis morbis infestos humores educendo. *confert*, talis depletio. *& facilè ferunt*, ægroti, quòd vitiosi humores educantur. *sin minus*, fiat depletio eorum quæ

corpora molestant. *contrà accidit*, nec bene tolerant ægroti. *regionis*, in qua degunt ægrotantes. *temporis*, quod præsens est. *ætatis*, secundũ quã humores in corpore varii sunt. *morborum*, quorum cognitio humoris superabundantis notitiam suppeditat. *ratio*, in ipsis humoribus educẽdis. *necne*, conueniat tales humores educere.

APHOR. 3 ARGVM.

Immodicã plenitudinẽ periculosam esse, atq; adeo sine mora soluendã, athletarum exemplo: summas tandem & vacuationes & refectiones vitandas.

Ἐν τοῖσι γυμναστικοῖσιν αἱ ἐπ᾽ ἄκρον εὐεξίαι σφαλεραί, ἢν ἐν τῷ ἐσχάτῳ ἔωσιν. οὐ γὰρ δύνανται μένειν ἐν τῷ αὐτέῳ, οὐδὲ ἀτρεμέειν. ἐπεὶ δὲ οὐκ ἀτρεμέουσιν, οὐδ᾽ ἔτι δύνανται ἐπὶ τὸ βέλτιον ἐπιδιδόναι, λείπεται ἐπὶ τὸ χεῖρον. τουτέων οὖν εἵνεκεν τὴν εὐεξίην λύειν ξυμφέρει μὴ βραδέως, ἵνα πάλιν ἀρχὴν ἀναθρέ-

ἀναθρέψιος λάβῃ τὸ σῶμα· μηδὲ τὰς ξυμπτώσιας ἐς τὸ ἔσχατον ἄγειν (σφαλερὸν γὰρ) ἀλλ' ὁκοίη ἂν ἡ φύσις ᾖ τοῦ μέλλοντος ὑπομένειν, ἐς τοῦτο ἄγειν. ὡσαύτως δὲ καὶ αἱ κενώσιες αἱ ἐς τὸ ἔσχατον ἄγουσαι, σφαλεραί· καὶ πάλιν αἱ ἀναθρέψιες αἱ ἐν τῷ ἐσχάτῳ ἐοῦσαι, σφαλεραί.

Athletarum plenior corporis habitus, si ad summum sit plenitudinis gradũ perductus, lubricus est. neque enim eodem permanere aut consistere potest: quum verò non consistat, nec iam possit in melius proficere, superest vt recidat in deterius. Quamobrem plenior illa corporis habitudo haud cunctanter est soluenda, quò corpus noua nutricationis initium capiat. Non tamen vsque eò vacuando pergi velim, vt vasa in se penitus considant. hoc enim tutum non est: sed quatenus natura feret, eò vsque progredi oportet. Sic & extremæ vacuationes periculosæ: contrà q. repletiones, extremæ si fuerint, similiter periculosæ.

Athletarum, cibis multis & plurimũ nutriẽtibus corporis molem & robur parare ſtudentium. *habitus*, tãtam habentes plenitudinem vt maiorem habere nõ poſſint. *Perductus*, ſi vaſa ſic expleta humorib. fuerint, vt plus citra vitæ diſcrimen capere non poſſint. *lubricus eſt*, ob incommodam plenitudinem, cuius cauſa vaſa ſæpe rumpuntur aut calor natiuus ſtrangulatur. *eodem*, ſtatu. *permanere*, athletæ continuò appetentes. *conſiſtere*, diu, quũ ſemper natura coctionem, alimenti diſtributionem, ſanguinis generationem, adiectionem, adglutinationem, atque aſſimilationem moliatur. *conſiſtat*, quum athletæ tantam adepti ſunt molem corporis cibis immodicis & plurimum nutrientibus. *proficere*, quòd athletæ ad pleniorem habitudinem progreſſi ſint. eo enim tempore facultates ſuum munus obeunt, ceſſat

coctrix

coctrix, impeditur retentrix, repultrix grauatur copia & plenitudine. *recidat*, habitus. *in deterius*, ruptis venis, aut innato calore qui ob immodicam plenitudinem perspiratu caret extincto. *habitudo*, plenitudo athletarũ. *cunctanter*, antequam prædicta pericula incidant. *soluenda*, per euacuantia, venæ potissimum sectionem. *capiat*, nouo assumpto cibo, vt facultates omnes naturales ad suum officium redeant, quarum finis nutritio est. *pergi*, nam de extremo in extremũ sine medio transit natura, tandémque vires prosternuntur. *vasa*, priùs plena. *tutũ*, quòd rarò vires prostratæ restaurẽtur. *natura*, virtus eius qui debet perferre euacuationẽ. *oportet*, nã hic minus, ille magis perfert euacuationis. *vacuationes*, omnes in genere in soluẽda firma athletarũ affectione. *periculosæ*, ob id fugiendæ ne vires eius qui vacuatio

nem sustinet prosternantur. *contráque*, vicissim quoque. *repletiones*, cuiuscunque generis sint. *extremæ*, im modicę. *periculosæ*, quum iā natura imbecillis sit, neque possit sufficienter coquere, neque distribuere & assimilare alimentum.

APHOR. 4 ARGVM.

Victum tenuem & accuratum periculosum esse in diuturnis morbis, summas tandem expletiones atque inedias, difficiles & molestas.

Αἱ λεπταὶ καὶ ἀκριβέες δίαιται, καὶ ἐν τοῖσι μακροῖσιν αἰεὶ πάθεσι, καὶ τοῖσιν ὀξέσιν, οὗ μὴ ἐπιδέχεται, σφαλεραί· καὶ πάλιν αἱ ἐς τὸ ἔσχατον λεπτότητος ἀφιγμέναι δίαιται, χαλεπαί. καὶ γὰρ αἱ πληρώσιες αἱ ἐς τὸ ἔσχατον ἀφιγμέναι, χαλεπαί.

Victus tenuis & exquisitus & in morbis longis semper, & in acutis verò vbi non conuenit, parum tutus. Rursúmque victus qui ad extremam peruenerit tenuita-

nuitatem, molestus. siquidē quæ ad summam plenitudinem perductæ sunt repletiones, molestæ.

Victus, quo ægri vtuntur. *tenuis & exquisitus*, qui per pauca, aut ea quæ parū nutriunt edulia fit. *longis*, quibus debetur victus plenus. *semper*, periculosus est, quòd vires demoliatur, & cum quo æger ad quadragesimum diē perdurare non potest. *conuenit*, vt peracutis & acutissimis. *parū tutus*, naturam enim plurimū grauat, & à morbi coctione abstrahit. *tenuitatē*, vt omnimodā inediā. *molestus*, in morbis lōgis. *perductæ*, vt dictū est Aphorismo sup. *molestæ*, vt summę inedię difficiles & molestæ.

APHOR. 5 ARGVM.

Errata quæ tū in tenui, tū in pleniore victu cōmittuntur, inter se conferūtur.

ΕΝ τῇσι λεπτῇσι διαίτῃσιν ἁμαρτάνουσιν οἱ νοσέοντες, διὸ μᾶλλον βλάπτονται. πᾶν γὰρ τὸ ἁμάρτημα, ὃ ἂν γίνηται, μέγα γίνεται μᾶλλον ἢ ἐν τῇσιν ὁ-

λίγον ἁδροτέρῃσι διαίτῃσι. διὸ τοῦτο καὶ τοῖσιν ὑγιαίνουσι σφαλεραὶ αἱ πάνυ λεπταὶ καὶ καθεστηκυῖαι καὶ ἀκριβέες δίαιται, ὅτι τὰ ἁμαρτανόμενα χαλεπώτερον φέρουσι· διὰ τοῦτο οὖν αἱ λεπταὶ καὶ ἀκριβέες δίαιται σφαλεραὶ ἐς τὰ πλεῖστα τῶν σμικρῶν ἁδροτέρων.

In tenui victu peccãt ægroti, quo fit vt magis lædãtur. Siquidẽ quoduis peccatũ grauius hîc quã in paulo pleniore victu solet esse. Eadẽ de causa sanis etiã valde tenuis, statáq. & exquisita vict⁹ ratio parũ tuta, quia errata grauius ferunt. Quare tenuis exactúsque victus paulo pleniore existit maxima ex parte periculosior.

Victu, si quãdo eo vti cõueniẽs est morbi ratione. *peccãt*, quãdo intempestiuè hũc sibi deligũt. *lædãtur*, ab errore illo, propter viriũ imbecillitatẽ à victu tenui, & morbo acuto. *hîc*, tenui victu intẽpestiuè adhibito. *pleniore victu*, quo in morbi vigo

re sæpius vti cogũtur, presertim vbi ex inedia vires prostratę fuerint. *pec catũ solet esse*, à medico, ægroto, astãtibus, & externis, quod grauius vires lædit. *sanis*, hoc in genere victus delinquentibus. *statáque*, semel. *ferunt*, sani victu tenui aut exquisito vtentes. *exactus*, accuratus & constitutus. *paulò*, maxima ex parte. *periculosior*, quòd vires reddat imbecillas.

APHOR. 6 ARGVM.

Nõnũquã à summis præsidiis auspicãda curatio.

ΕΣ δὲ τὰ ἔσχατα νουσήματα, αἱ ἔσχαται θεραπεῖαι ἐς ἀκριβείην, κράτισαι.

Ad extremos morbos, extrema exquisitè comparata remedia, optima.

Morbos, maximos, quales sũt peracuti, à quib⁹ periculũ impẽdet. *remedia*, vt est vict⁹ tenuissim⁹, & alia pſidia maxima. *optima*, si nihil à medico, ægroto, & assidẽtibus peccetur.

APHOR. 7 ARGVM.

In peracutis morbis extremè tenuissimo victu vtendum.

Ὅκου μὲν οὖν κάτοξυ τὸ νόσημα, αὐτί-
κα τοὺς ἐσχάτους πόνους ἔχει, καὶ τῇ
ἐσχάτως λεπτοτάτῃ διαίτῃ ἀναγκαῖον χρέε-
σθαι. ὅκου δὲ μή, ἀλλ' ἐνδέχεται ἁδροτέρως
διαιτᾶν, τοσοῦτον ὑποκαταβαίνειν, ὁκόσον
ἂν ἡ νοῦσος μαλθακωτέρη τῶν ἐσχάτων ᾖ.

Quũ itaque morbus peracutus est, extremos protinus labores habet, summéque tenuissimo victu est vtendũ: quum verò non est, sed pleniorem victũ licet exhibere, tantùm de extrema victus tenuis ratione remittendum, quanto extremis morbus fuerit remißior.

Peracutus est, atque adeo celeriter cõsistit. *protinus*, die quarto, aut paulo antè, vel paulò pòst. *labores*, statum, & vigorẽ cũ grauissimis symptomatibus. *summéque*, tum necessariò. *tenuißimo*, soláque inedia. *vtendum*, modò id liceat per vires & ætatem ægrotãtis. *non est*, peracutus morbus non est, sed tantum acutus vel lõgus. *victum*, vt melicratum, &

succum

ſuccũ ptiſanæ. *exhibere*, quia ſtatus lõgius abeſt. *remittendum*, tantóque plenior victus adhibendus. *morbus*, acutus vel longus. *remiſsior*, & à vigore recedit.

APHOR. 8 ARGVM.

Qualis debeat eſſe in morborũ omniũ vigore victus.

Ὁκόταν δὲ ἀκμάζῃ τὸ νούσημα, τότε καὶ τῇ λεπτοτάτῃ διαίτῃ ἀναγκαῖον χρέεσθαι.

Quum morbi vis eſt maxima, tum vel tenuiſsimo victu eſt vtendum.

Morbi, ſiue peracuti, ſiue acuti, ſiue lõgi. *vis eſt maxima*, quam declinatio excipit, quod animaduertit prudens medicus. *vtendum eſt*, alioqui in morbo cuius vigorẽ mors excipit, parte artis quæ futura prædicit ſola vtendum.

APHOR. 9 ARGVM.

Simul cum morbi vigore, ægrotãtis vires diligenter attendendæ in peracutis.

Συντεκμαίρεσθαι δὲ χρὴ καὶ τὸν νοσέοντα εἰ ἐξαρκέσει τῇ διαίτῃ πρὸς τὴν ἀκμὴν τῆς νούσου, καὶ πότερον ἐκεῖνος ἀπαυδήσει

πρότερον, καὶ οὐκ ἐξαρκέσει τῇ διαίτῃ, ἢ ἡ νοῦσος πρότερον ἀπαυδήσει καὶ ἀμβλυνεῖται.

Sed & ex ægroto coniecturam facere oportet an is cū præscripto victu perstet ad morbi vsque vigorem, án ve prius deficiat, impárque cum tali victu succumbat, quàm cedat morbus & obtundatur.

Oportet, in morbis præfatis. *victu*, quem præscribit medicus. *vigorē*, & status præterierit. *deficiat*, facultatib⁹ corpus ipsum dispēsantibus prostratis. *succūbat*, cum morbo pugnare antequā ad vigorem commodè pertingere queat. *obtundatur*, declinatione apertè subsequente.

APHOR. IO ARGVM.

Non tantùm in peracutis, vel acutis, dum vigent, tenuiter cibandum, sed & in diuturnis.

ΟΚόσοισι μὲν οὖν αὐτίκα ἡ ἀκμὴ, αὐτίκα λεπτῶς διαιτᾶν· ὁκόσοισι δ᾽ ἐς ὕστερον ἡ ἀκμὴ, ἐς ἐκεῖνο καὶ πρὸ ἐκείνου μικρὸν ἀφαιρετέον. ἔμπροσθεν πιοτέρως διαιτᾶν, ὡς ἂν ἐξαρκέσῃ ὁ νοσέων.

Quibus itaque vigor statim futurus est, tenu-

tenuiter statim habere oportet: quibus autem posterius, & in ipso vigoris tempore, & paulo sub ipsum de victu demendum. Antea verò plenius alendum, vt ægrotus perferre queat.

Quibus, morbus consistit & vigor adest. *statim*, non multo post primam inuasionem, vt in peracutis & acutis morbis. *tenuiter statim*, circa principia his tenuis victus adhibendus est, quo victus genere in ipso statu vtimur. *posterius*, si non confestim vigor futurus est, nempe die 7, vel 14. *vigoris tempore*, ipsóq; vigore. *ipsum*, tẽpus. *de victu demendum*, vt natura coctioni humorum noxiorum vacare possit. *alendum*, nutriendum plenius. *queat*, vsque ad summum vigorem perdurare: in quo tenuis vict⁹ adhiberi debet.

APHOR. II ARGVM.

A cibis abstinendum in ipsis febriũ accessionibus.

ΕΝ τοῖσι παροξυσμοῖσιν ὑποστέλλεσθαι χρή· τὸ προστιθέναι γὰρ βλαπτικόν. καὶ ὁκόσα κατὰ περιόδους παροξύνεται, ἐν τοῖσι παροξυσμοῖ

συντοπιστέλλεσθαι χρή.

In ipsis tamen exacerbationibus cibum adimere oportet. nam prębere, noxiũ. Et quum per circuitus redeũt morbi, in ipsis accessionibus abstinendum.

In exacerbationibus, febriũ cõtinuarum habentium exacerbationes intermittentibus affines, nempe principio, augmẽto, & vigore. *noxium*, quòd naturam quæ circa morbi materiam tum est occupata, cibus oblatus distrahat, atque adeò humores morbum efficientes adaugeat. *circuitus*, nempe in intermittentibus febribus, quæ per certos circuitus redeunt. *accessionibus*, & ante accessiones. *abstinendum*, modò per ægrotantis vires & corporis naturam liceat.

APHOR. 12 ARGVM.

Qua ratione accessiones & vniuersalia morborum tempora deprehendere licet, & num morbi futuri sint breues, aut longi: iudicatu faciles, aut difficiles.

Τοὺς δὲ παροξυσμοὺς καὶ τὰς καταστάσιας δηλώσουσιν αἱ νοῦσοι, καὶ αἱ ὧραι τοῦ ἔτεος, καὶ αἱ τῶν περιόδων πρὸς ἀλλήλας

ἀντιποδόσιες, ἤν τε καθ' ἡμέρην, ἤν τε παρ' ἡμέρην, ἤν τε καὶ διὰ πλείονος χρόνου γίγνωνται. ἀτὰρ καὶ τοῖσιν ἐπιφαινομένοισιν, οἷον ἐν πλευριτικοῖσι, πτύελον ἢν αὐτίκα ἐπιφαίνηται ἀρχομένου, βραχύνει· ἢν δ' ὕστερον ἐπιφαίνηται, μηκύνει. καὶ οὖρα, καὶ ὑποχωρήματα, καὶ ἱδρῶτες, καὶ εὔκριτα, καὶ δύσκριτα, καὶ βραχέα, καὶ μακρὰ τὰ νοσήματα, ἐπιφαινόμενα δηλοῖ.

Morbi vero ipsi, & anni tempora, & periodorum inter se proportionis obseruatio, siue eæ quotidie, siue alternis, siue maiore interuallo fiant, paroxysmos & statum morborum indicabunt. Sed & ex iis quæ postea apparent, indicia sumuntur, velut in pleuritide sputum si statim initio appareat, breuem fore denūtiat: si verò posterius conspiciatur, longam. Quinetiam vrinæ, alui fæces, sudores & iudicatu faciles aut difficiles, & breues aut longos morbos fore, quum superueniunt, demonstrant.

Mor*bi*, à quibus victus ratio instituitur. *anni tempora*, constitutiones suam naturam obseruantes, totam morborum durationem & differentias medico

indicabunt.*periodorum obſeruatio*, acceſſionum quæ in circuitibus fiũt augmenta. *quotidie*, vt in febribus quotidianis.*ſiue alternis*,vt in bilioſis& tertianis.*interuallo*,vt quartanis,quintanis.*ſed & ex his*,ſymptomatibus& ſignis.*apparẽt*,in ipſo morbo *indicia*,acceſſionum & conſtitutionũ.*ſumuntur initia*,morbo incipiente *ſtatim*,nempe intra tres dies.*ſputum appareat*,coctũ. *breuem*,& leuem ſignificat pleuritidẽ. *poſterius*, nempe circa decimumquartum diem. *longam*,longum fore morbum ſignificat. *Vrinæ*, earum nempe ſubſtantia, quantitas, qualitas, perſpicuitas,color,odor,meiendi modus, & contenta,morbi inſtitutionem mõſtrant. *fæces & ſudores*,vt ſuperuenerint quæcũque apparuerint, alia quoq; per aliã partẽ excreta.*faciles aut difficiles*,vel bonam morborum iudicationem & terminationem iudicatu facilem,vel malã,iudicatu difficilem. *breues*,ſi ſtatim illa cocta ſint.*longos*,ſi cruda vel pituitoſa.

APHOR. 13 ARGVM.

Ætatum differentiam multum confer

re ad victus rationem probè instituendã.

Γέροντες εὐφορώτατα νηστείην φέρουσι, δεύτερον οἱ καθεστηκότες, ἥκιστα μειράκια, πάντων δὲ μάλιστα παιδία. τουτέων δὲ αὐτέων ἃ ἂν τύχῃ αὐτὰ ἑωυτῶν προθυμότερα ἐόντα.

Ieiunium senes decrepiti ferunt facillimè, secundùm hos qui constantem ætatem agunt, minus adolescentes, minimè omnium pueri, atque inter eos maximè qui acriore sunt & viuidiore ingenio præditi. [illegible]

Senes, quique adhuc ciuilia munia obire possunt. *ieiunium*, quòd frigidiores sint, & cibos minus possint cõficere, labefactata iam nonnihil virture. *ætatẽ agunt*, vt qui in declinatione à vigore existũt, & famem facilè tolerant. nã corpus haud consimiliter vt antea calidũ obtinẽt. *minus adolescentes*, ieiunium ferunt quàm senes primi, & consistẽtes, quòd calor corpúsque eorum in continuo sint incremento. *pueri*, famem tolerant, quòd corpus perspiratu facilè obtineant; & plurimum calidi innati, quódque iustam incrementi per-

fectionem nondum consequuti sint. viuidiore ingenio, ii enim sunt animosiores quia cæteris calidiores.

APHOR. 14 ARGVM.

Causam adducit propter quam senes facilè ieiunium, contrà verò pueri & adolescentes nullatenus sustineant.

ΤΑ' αὐξανόμενα, πλεῖστον ἔχει τὸ ἔμφυτον θερμόν. πλείστης οὖν δεῖται τροφῆς· εἰ δὲ μὴ, τὸ σῶμα ἀναλίσκεται. Γέρουσι δὲ ὀλίγον τὸ θερμόν· διὰ τοῦτο ἄρα ὀλίγων ὑπεκκαυμάτων δέονται· ὑπὸ πολλῶν γὰρ ἀποσβέννυται. διὰ τοῦτο καὶ οἱ πυρετοὶ τοῖσι γέρουσιν οὐχ ὁμοίως ὀξέες· ψυχρὸν γὰρ τὸ σῶμα.

Qui crescunt, plurimum habent calidi natiui: itaque copioso quum egeant alimento, abundè ipsis suppeditare oportet. alioqui corpus consumitur. In senibus verò inest caloris parum. Paucis propterea succediculis egent. exiguus namque ignis fomitis extinguitur multitudine. Ob eandem causam nec senibus febres perinde acutæ fiunt: frigidum enim eorum corpus.

Qui, præsertim pueri & adolescētes. *crescunt*, & in assiduo sunt incremento per nouam pororum generationē ab

appoſito nutrimento. *calidi natiui*, & ſubſtantiæ calidæ, humidæ, ſeminalis, mẽſtruæ, & ſanguineæ. *alimento*, quod multum diffluit à ſubſtantia eorum calida, humida. *conſumitur*, nullo adhibito alimento. nam tum quæ conſumat non inueniens calidum innatum, carnes omnino cõſumit. *caloris*, ob quã cauſam ſenes corpus frigidum obtinẽt. *ſuccendiculis*, & alimẽtis. *egẽt*, quòd paucus fiat fluor ſubſtantiæ eorum. *extinguitur*, eorũ calor ſuffocatur ſi quiſpiã illis copioſum alimentum ſuppeditet. *cauſam*, quòd ſenibus parũ calidi natiui inſit. *ſenibus*, atque iuuenibus. *frigidũ*, & paucum ipſis calidum natiuum.

APHOR. 15 ARGVM.

Ad rectam victus rationem inſtituendam tempora anni conferre.

Αἱ κοιλίαι χειμῶνος καὶ ἦρος θερμόταται φύσει, καὶ ὕπνοι μακρότατοι. ἐν ταύτῃσιν οὖν τῇσιν ὥρῃσι καὶ τὰ προσάρματα πλείω δοτέον. καὶ γὰρ τὸ ἔμφυτον θερμὸν πλεῖον ἔχουσι. Τροφῆς οὖν πλείονος δέονται. σημεῖον αἱ ἡλικίαι, καὶ οἱ ἀθληταί.

Vẽtres hyeme ac vere natura calidiſſi

mi, & somni longissimi. Per ea igitur tẽpora plus cibi dare oportet, siquidem plus natiui caloris habent. Quo fit vt copiosiore alimento egeant. argumento sunt ætates & athletæ.

Ventres, internæ nimirum corporis partes, & cõcauitates omnes. *hyeme*, naturam suam obseruãte. *vere*, præsertim eius initio. *natura*, natiuóque calore. *calidissimi*, temperatissimi. *& somni*, per quos naturæ opera fiunt exactissima. *longissimi*, propter lõgiores noctes frigidissimas & humidissimas. *tempora*, in quibus ventres natura calidissimi & sõni lõgissimi sunt. *cibi*, & plenius nutriẽtis. *dare*, quod probatur per sequẽtia. *caloris natiui*, in ventribus & cauitatibus internis. *copiosiore*, pleniꝰ nutriente qui conficiat ne absumantur. *argumento*, indicio. *athletæ*, quòd pluribus egent alimentis, ob calorem internum crebris exercitiis auctiorem redditum.

APHOR. 16 ARGVM.

Victum tam ægris quàm sanis conuenientem præscribit.

ΑΙ ὑγραὶ δίαιται πᾶσι τοῖσι πυρεταίνουσι ξυμφέρουσι, μάλιστα δὲ παιδίοισι, καὶ τοῖ

σιν ἄλλοισι πᾶσιν οὕτως εἰθισμένοισι διαιτᾶσθαι.

Victus humidus cùm febricitantibus omnibus, tum pueris maximè atque alijs qui tali victu vti consueuere, vtilis.

Humidus, frigidus actu aut potentia. *vtilis*, vt cõtrarius. *pueris*, pueris prodest per morbos victus humidus & frigidus, vt per sanitatem humidus, calidꝰ, ipsis humidis, calidis, & quo potissimũ proximiores sunt generationis principio. *consueuere*, siue febrem patiantur qui sani sint: quippe consuetudo similibus indiget naturam imitans.

APHOR. 17 ARGVM.

Eorum quæ ægrotantibus offeruntur modus considerandus.

ΚΑΙ οἷσιν ἅπαξ, ἢ δὶς, καὶ πλείω ἢ ἐλάσσω, καὶ κατὰ μέρος. δοτέον δέ τι καὶ τῇ ὥρῃ, καὶ τῇ χώρῃ, καὶ τῇ ἡλικίῃ, καὶ τῷ ἔθει.

Quos etiã semel aut bis, & plus minusve & minutatim alere conueniat spectandum. Dandum verò aliquid tempori, regioni, ætati, & consuetudini.

Quos, subinde ægrotos. *semel*, & totũ simul. *aut bis*, vt duobus pastibus. *plus minusve*. semel aut bis. *minutatim*, in sin

gulis nimirum paſtibus. *ſpectandum*, ex morbi vigore & viribus. *dandū*, de numero & quãtitate paſtuũ, ſemel aut bis, plura aut pauciora ſumēdũ, idque poſt duas primas & maximas indicationes à morbo & ægrotantis viribus petitas.

APHOR. 18 ARGVM.

Ægrotos difficillimè ferre cibos æſtate, & autumno æſtatem mox inſequente.

ΘΈρεος καὶ φθινοπώρου σιτία δυσφορώτατα φέρουσι, χειμῶνος ῥήϊστα, ἦρος δὲ δεύτερον.

Æſtate & autumno cibi copiam ferunt difficillimè, hyeme facillimè, vere minus.

Ferunt, ægrotãtes, quòd iis tempori bus calor natiuus exiguus ſit, & vires imbecillæ. *hyeme facillimè*, cibos ferunt, quòd color natiuus plurimus ſit. *vere minus*, quòd temperatum ſit, vnde nec difficillimè tum vt æſtate, neque facillimè vt hyeme, ægro tantes ci bos ferunt, ſed facilè.

APHOR. 19 ARGVM.

Modus vſus ciborum ex ipſis acceſſionibus diſcendus.

ΤΟῖσιν ἐν τῇσι περιόδοισι παροξυνομένοισι μηδὲν διδόναι, μηδ᾽ ἀναγκάζειν,

ἀλλ' ἀφαιρέειν τῶν προσθεσίων πρὸ τῶν κρισίων.

Quibus per ſtatos circuitus acceſsiones fiunt, nihil dare, nec cogere, ſed demere oportet ante iudicationes.

Circuitus, periodos certas ordinatim que factas. *dare &c.* in ipſa acceſſione &ante acceſſionẽ nõ oportet dare cibũ & potũ, alioqui cauſæ morbũ efficiẽti aliquid adiicies, morbúmq; ipſum augebis. *demere*, ſubtrahere oportet adiectioni ei quod offerebatur. *indicationes*, ipſas nimirũ acceſſiones, in quibus magna ex parte iudicationes accidunt.

APHOR. 20 ARGVM.

Quando in morborum iudiciis naturæ opitulandum, & quando non.

Τὰ κρινόμενα καὶ τὰ κεκριμένα ἀρτίως, μὴ κινέειν, μηδὲ νεωτεροποιέειν, μήτε φαρμακείῃσι, μήτ' ἄλλοισιν ἐρεθισμοῖσιν, ἀλλ' ἐᾶν.

Quæ decernuntur decretáve ſunt iuſtè, nec mouere, nec aliud quicquam nouare, ſiue medicamentis, ſiue aliis irritamentis fiat, ſed omittere oportet.

Decernuntur, per criſim corpore, ſub naturæ iudicio conſtituto. *iuſtè*, perfe-

ctéque atque sufficienter. *mouere*, materias quas natura magno conatu expellere studet. *nouare*, ne naturæ actionem turbemus, *siue medicamentis*, purgantibus. *irritamentis*, irritando materiã vel naturam, venæ nimirum sectione, vomitione, clystere, aut aliis causis salubribus. *omittere*, & omnia naturæ permittere, siue fiat iudicatio, siue integrè facta sit.

APHOR. 21 ARGVM.

Quid faciendum medico vbi noxia nõ integrè à natura expelluntur.

Α Δεῖ ἄγειν, ὅκου αὖ μάλιστα ῥέπῃ, ταύτῃ ἄγειν, διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων.

Quæ educere oportet, quò maximè vergere videbũtur, ducito, viis ac locis vtiliter eò ferentibus.

Quæ, ducito, reliquias morbi non integrè iudicati oportet euacuare, quò maximè natura & facultas expultrix tendit, quando videlicet iudicatio imperfecta fuerit. *locis*, per loca cõferentia & partes non principes liberum exitum habentes.

APHOR. 22 ARGVM.

In morborum principiis (nisi turgeant

hu-

humores) medicamenta purgantia haud propinanda.

Πέπονα φαρμακεύειν καὶ κινέειν μὴ ὠμὰ, μηδὲ ἐν ἀρχῇσιν, ἢν μὴ ὀργᾷ· τὰ δὲ πλεῖστα οὐκ ὀργᾷ.

Quæ matura coctaque sunt medicari ac mouere oportet, non cruda, nec per initia, nisi suopte cieantur impetu; id quod perraro fieri solet.

Cocta, vtpote præparata ad expulsionem. *cruda*, vtpote pigra & ad motum inepta, propter crassitudinem & frigiditatem. *initia*, medicari oportet noxia, quòd tum cruda sint omnia. *nisi suopte cieantur*, nisi turgeant cruda & aliæ materiæ in principiis: quod semper nō fit. nam plurima magna ex parte non turgent, nec motu concitatiore ac impetuosiore à partibus in partes defluunt.

APHOR. 23 ARGVM.

In vacuationibus multitudinem non considerandam, sed superexcedentis humoris qualitatem, & tolerantiæ facilitatem.

Τὰ χωρέοντα μὴ τῷ πλήθει τεκμαίρεσθαι, ἀλλ᾽ ὡς ἂν χωρέῃ οἷα δεῖ καὶ φέ-

ρει ἀφόρως, καὶ ὅκου δεῖ, μέχρι λειποθυμίης ἄγειν, καὶ τοῦτο ποιέειν ἢν ἐξαρκέσῃ ὁ νοσέων.

Quæ vacuantur multitudine metiēda non sunt, sed si quæ oportet vacuetur, & facilè ferant: atque vbi ad animi deliquium educere conuenit, faciendum, si ægrotus par esse posit.

Quæ vacuantur, defectiones siue à natura siue à medico factæ, non sunt æstimandæ copia immēsa à medico. *si quæ*, quæ corpus molestant. *vacuentur*, deiiciantur natura aut vi medicamenti. *ferant*, ægroti tolerant & seipsis fiunt leuiores. *deliquiū*, defectionem. *educere*, euacuare phlebotome seu venæ sectione. *conuenit*, in pletora scilicet. *si ægrotus*, si æger possit tolerare validarum virium beneficio.

APHOR. 24 ARGVM.

Quando commode medicamento purgante vti licet in morbis acutis.

ΕΝ τοῖσιν ὀξέσι πάθεσιν ὀλιγάκις, καὶ ἐν ἀρχῇσι τῇσι φαρμακείῃσι χρέεσθαι, καὶ τοῦτο προεξευκρινήσαντας ποιέειν.

In morbis acutis rarò, & per initia medicamento purgante vti oportet. Nec

vero id inconsiderate faciendum.

Morbis, breui tempore motis, vrentibus feruentémque habentibus materiam. *raro*, propter noxas & incommoda quæ purgationes ipsas sequuntur. *vti*, nisi turgeāt humores. *faciendum*, ea multa cautione & consideratione.

APHOR 25 ARGVM.

Qua rātione deprehenditur medicamentum purgans bene aut malè processisse.

ΗΝ οἷα δεῖ καθαίρεσθαι, καθαίρωνται, ξυμφέρει τε καὶ εὐφόρως φέρουσι. τὰ δ' ἐναντία δυσχερῶς.

Si qualia oportet purgentur, confert, & facilè ferunt: si contraria, difficulter.

Purgentur, per medicamentum purgans. *confert*, quod id repurgetur quod obledebat *& facilè ferunt*, ægrotantes. *si contraria*, purgentur qualia purgari non oportet, sed qualia erant retinenda. *difficulter*, ferunt qui repurgantur.



APHORISMORVM HYPPOCR.

LIBRI. II.

ARGVMENTVM.

Habet secundus hic liber, de quo vniuersalis & integra intentio assignari nō potest, permulta quæ ad Aetiologiam, Semeioticem, Physiologiam, & purgationem pertinent.

APHORISMI. I. ARGVM.

Quando à somno prædici possit nunquid morbus saluber aut exitialis futurus sit.

APHOR. I.

EN ῷ νοσήματι ὕπνος πόνον ποιέει, θανάσιμον, ἢν δὲ ὠφελέῃ, οὐ θανάσιμον.

Quo in morbo somnus laborem adfert, est mortiferum: Si verò leuationem, minimè est mortiferum.

Morbo

Morbo, morbi quocunque genere, eiusque particularibus temporibus. *laborem adfert*, ægrum lædit. *Mortiferum-* mortale signum existit, idque si in declinatione accidat, in qua aliàs rimùm conferre solet. *leuationem*, si iuuat somnus in declinatione illa particulari non mortale est signum sui ratione, quòd bonum portendat.

APHOR. 2. ARGVM.

Eius quod superius dixit veluti exemplum subiungit.

Ὅκου παραφροσύνην ὕπνος παύει, ἀγαθόν.

Vbi somnus delirationem sedat, bonū.

Vbi somnus, aut quæuis causa salubris. *delirationem* &, alia symptomata *sedat*, remittit. *bonum*, innuit, & multò melius vbi soluit.

APHOR. 3. ARGVM.

Somni ac vigiliarum exemplo immoderata omnia naturæ esse prorsus aduersa.

ΥΠνος, ἀγρυπνίη, ἀμφότερα τοῦ μετρίου μᾶλλον γενόμενα, κακόν.

Somnus & vigilia modum si excesserint, malum.

Vigilia, ipsi somno opposita. *excesserint*, immoderata fuerint. *malum*, signum existit & causa mala. somnus quidem immoderatus cerebrum nimis quam conueniat refrigeratum & humectatum esse significat: vigiliæ verò immoderatæ siccitatem multam portendunt, cruditatem pariunt.

APHOR 4 ARGVM.

Satietatis quoque & famis exemplo immoderata esse noxia.

ΟΥ πλησμονὴ, οὐ λιμὸς, οὐδ' ἄλλο οὐδὲν ἀγαθὸν, ὅτι ἂν μᾶλλον τῆς φύσιος ᾖ.

Non satietas, non fames, neque aliud quicquam quod naturæ modum excedat, bonum.

Satietas, copia ciborũ parta. *fames*, quæ modum naturæ excedit, *modum*, naturalem tum vsum tum ordinem eiúsque temperaturam.

Quid

APHOR. 5 ARGVM.

Quid præ se ferant sponte natæ lassitudines.

KΟ'ποι αὐτόματοι φράζουσι νούσους.

Spontaneæ lassitudines morbos denunciant.

Lassitudines, insignes nullo corporis, aut animi motu natæ. *denuntiant.* febres nimirum si in toto sunt corpore, vel partium, si in eis sint, quippe ex ipsis morbi causa adesse significatur,

APHOR. 6 ARGVM.

Tum demum lædi rationem ubi dolorificus affectus non sentitur.

OΚόσοι πονέοντές τι τοῦ σώματος, τὰ πολλὰ τῶν πόνων οὐκ αἰσθάνονται, τουτέοισιν ἡ γνώμη νοσέει.

Qui ab aliqua corporis parte dolẽtes, fere dolorem non sentiunt, iis mens ægrotat.

Dolentes, affectum dolorificum habẽtes. *Parte*, vel in toto corpore. *dolorem*, eum sensum tristem, & molestum ab eo affectu natum. *non sentiunt*, non apprehendunt. *mens*, ac tota facultas

animalis sic est oppressa, vt fungi suo munere non posit.

APHOR. 7. ARGVM.

Quando tarde ac tenuiter, celeriter ac plenius, triplex nostra substantia reparanda & instauranda.

ΤΑ ἐν πολλῷ χρόνῳ λεπτυνόμενα σώματα, νωθρῶς ἐπανατρέφειν δεῖ. τὰ δ' ἐν ὀλίγῳ, ὀλίγως.

Quæ longo tempore extenuata sunt corpora, sensim reficere oportet, quæ verò breui, repente.

Extenuata corpora, corpora tribus cõstãtia, spiritibus, humoribus, & solidis, quæ extenuãtur per morbos præsertim lõgos, *sensim*, longiore tẽpore & tenuiter. *reficere oportet*, dum à morbo reualescunt. *quæ verò breui*, vt per morbos acutos, fluorẽ alui, inediam, vigilias extenuantur corpora. *repente*, plenius reficere oportet: quoniam soli spiritus & humores resoluti sunt, nõ item solida membra.

Causam

APHOR. 8. ARGVM.

Causam exponit cur ex morbo conualescentes non recuperent vires, etiamsi cibum appetant & abunde comedant.

EI ἐκ νούσου τροφὴν λαμβάνων τις, μὴ ἰσχύῃ, σημαίνει ὅτι πλείονι τροφῇ τὸ σῶμα χρῆται. ἢν δὲ τροφὴν μὴ λαμβάνοντος, τοῦτο γίγνηται, χρὴ εἰδέναι, ὅτι κενώσιος δεῖται.

Si à morbo cibum adhibens quispiam vires non recipiat, copiosiore alimento corpus onerari indicat. Si vero modicè epulanti idem eueniat, vacuatione indigere sciendum est.

Morbo, iam soluto. *cibum*, cum appetitu & largiùs. *nō recipiat*, nō corroboratur triplici facultate scilicet. *copiosiore alimento*, largiori cibo quàm facultates naturales imbecillæ in succū conuertere, & in sanguinē mutare possint. *eueniat*, quod si non assumente cibum a morbo hoc accidat vt non corroboretur aliquis. *Sciendum est*, scire oportet quod indiget euacuatione per phlebotomiam si corpus est pletoricum, per deiectionem si cacochymum.

APHOR. 9 ARGVM.

Corpora ad purgationem præparanda, nequis purgationẽ temere instituat, hac ratione ægrotanti damnum inferens.

ΤἈ σώματα χρὴ, ὅκου ἄν τις βούληται καθαίρειν, εὔροα ποιέειν.

Corpora quum quis purgare volet, ea fluxilia faciat oportet.

Corpora cum quispiam purgare voluerit corpora, vel corporis partes, speciatim idque medicamento purgãte. *fluxilia*, ea fluida, vel eas fluidas oportet facere, cunctis primum meatibus reseratis, deinde humoribus crassis incisis & extenuatis.

APHOR. IO ARGVM.

Superioris Aphorismi veluti rationem subiungit.

ΤἈ μὴ καθαρὰ τῶν σωμάτων, ὁκόσον ἂν θρέψῃς, μᾶλλον βλάψεις.

Impura corpora quo plus nutrieris, eo magis læseris.

Impura, corpora non pura, qualitatis & quãtitatis ratione. *nutrieris*, quãto plus nutries cibis suæ intemperiei

ſimillimis.*læſeris*,tãto plus lædes,quippe alimentum quod offertur,corrumpitur, augetque vitioſorum humorũ quantitatem.

APHOR. II ARGVM.

Quòd adiectione egentes citiſſimè reficere liceat.

Ῥᾷον πληροῦσθαι ποτοῦ, ἢ σιτίου.
Facilius eſt potu refici quàm cibo.

Refici,impleri corpus ob ægritudinem exãgue.*potu*,liquido omni & humido quod facilè alteratur & promptè diſtribuitur. *cibo*, ſolidiſque omnibus ægrè alterabilibus & tranſmutabilibus.

APHOR. 12 ARGVM.

Quid, quæ poſt iudicationem in corpore relinquuntur,efficere ſoleant.

Τὰ ἐγκαταλιμπανόμενα ἐν τῇσι νούσοισι μετὰ κρίσιν, ὑποστροφὰς ποιέειν εἴωθεν.
Quæ à morbus poſt criſin relinquuntur recidiuos morbos facere conſueuerunt.

Quæ,excrementa humorũque prauorum reliquiæ,& intemperaturæ.*re-*

linquuntur, ab ipsa natura imbecillæ. *post crisim*, imperfectam. *consueuerũt*, nisi in tempore vacuentur à medico quæcunque à natura imbecilla relicta sunt

APHOR. 13 ARGVM.

Qua ratione futura aut iam facta crisis deprehendatur.

Ὁκόσοισι κρίσις γίνεται, τουτέοισιν ἡ νὺξ δύσφορος ἡ πρὸ τοῦ παροξυσμοῦ. ἡ δὲ ἐπιοῦσα εὐφορωτέρη ὡς ἐπὶ τὸ πολύ.

Quibus crisis fit, nox quæ accessionem præcedit grauis, quæ verò subsequitur, leuior ferè solet existere.

Crisis, quæ subita est & præceps in morbo mutatio, in melius vel deterius. *nox grauis*, difficilis & molesta. *præcedit accessionem*, antè accessionem prius inuadentem. *subsequitur*, ipsam iudicationem optimam & perfectam. *leuior*, quod iam natura à superuacuis & corpus molestãtibus humoribus exonerata sit, atquè adeò commodè tum homo quiescere possit.

APHOR. 14 ARGVM.

Quibus indiciis cognosci possit num quæ per alui profluuium fit iudicatio, bona & perfecta sit.

ΕΝ τῇσι τῆς κοιλίης ῥύσεσιν, αἱ μεταβολαὶ τῶν διαχωρημάτων, ὠφελέουσιν, ἢν μὴ ἐς τὰ πονηρὰ μεταβάλλῃ.

In fluxionibus alui, excrementorum non in deteriora facta mutatio iuuat.

Fluxionibus, in profluuiis à natura ipsa factis post crisin. *excrementorum*, mutationes excrementorum ad odorem & colorem naturali proximum iuuant, quod corpus à pluribus humorum speciebus repurgent, nisi ad mala mutatio fiat, liues nimirum, nigrum, pingue, graueolens.

APHOR. 15 ARGVM.

Quæ ratione iudicatio quæ per abscessum fit, bona & perfecta cognosci possit.

ΟΚου φάρυγξ νοσέει, ἢ φύματα ἐν τῷ σώματι ἐκφύεται, τὰς ἐκκρίσιας σκέπτεσθαι. ἢν γὰρ χολώδεες ἔωσι, τὸ σῶμα ξυννοσέει, ἢν δὲ ὅμοιαι τοῖσιν ὑγιαίνουσι γίγνωνται, ἀσφαλὲς τὸ σῶμα τρέφειν.

Vbi fauces dolent, aut pustularũ eruptiones exoriuntur in corpore, excrementa spectare oportet. nam si biliosa fuerint, vnà corpus ægrotat: si verò sanorum excrementis similia, tutò corpus alere poteris.

Fauces, quum fauces & os reliquum ægrotant aphthisque infestantur. *pustularum eruptiones*, tubercula præter naturam: corpore erumpentia & pululantia nascuntur in corpore & cute veluti excrementorum receptaculo. *excrementa*, Vrinas nimirum, deiectiones, sputa, mucum. & alia omnia excreta. *biliosa*, vt biliosa tubercula. *ægrotat*, bileque plenum est, quam nondum ad cutem natura reposuit. *Similia*, si similes sanis sint excretiones tutum est corpus nutrire vtpote excrementis & vitiosis humoribus vacuum.

APHOR. 16 ARGVM.

Neque sanis, neque ægris simul inedia & exercitationibus vtendum: hoc est vbi est euacuatio, euacuatione non vtendum.

Κοῦ λιμὸς, οὐ δεῖ πονέειν.

Fame dominante, ab omni agitatione vacandum & labore.

Fame, vbi fames & ciborum defectus spontaneus vel coactus adest, laborãdũ nõ est, neq; vllo vehemẽti motu, siue animi, siue corporis vtendum: alioqui vires deficiuntur, corpúsque plus iusto exiccatur.

APHOR. 17 ARGVM.

Alimenti non plus quàm natura conueniat exibendum.

Κου αἲ τροφὴ παρὰ φύσιν πλείων ἐσέλθῃ, τοῦτο νοῦσον ποιέει, δηλοῖ δὲ καὶ ἡ ἴησις.

Vbi præter naturam copiosior cibus ingestus est, morbum inde creari indicat sanatio.

Cibus vel alimentum. *præter naturam*, vt ab eo immoderatiore grauetur natura, corpus nostrum gubernãs. *Morbum creari*, sanatio per vacuationem morbos ex repletione curans, ostendit repletionem quæ est supra vires naturales, coctrices, & retẽtrices, morbum

facere.

APHOR. 18 ARGVM.

Ciborum natura medico diligenter cõsideranda, vt qui prompté, qui tardè nutriant, non nesciat.

ΤΩν τρεφόντων ἀθρόως καὶ ταχέως, ταχεῖαι καὶ αἱ διαχωρήσιες γίγνονται.

Eorum quæ confertim & celeriter alunt, celeres etiam excretiones esse solent.

Eorum, omnium in ventriculo, venis, & vniuerso corpore existentium. *confertim*, quæ vniuersim, affatim, & celeriter simulatque sumpta sunt. *Alunt*, nutriunt prima, secunda, & tertia coctione. *Excretiones*, veloces fiunt excretiones præsertim si habeant acrimoniam.

APHOR. 19 ARGVM.

Non omnino tutæ accutorum morborum prædictiones, ob id medico in his non temere pronunciandum.

ΤΩν ὀξέων νοσημάτων οὐ πάμπαν ἀσφαλέες αἱ προδιαγορεύσιες οὔτε τοῦ θανάτου, οὔτε τῆς ὑγιείης.

In

In morbis acutis nō omninò certæ sunt mortis aut salutis prædictiones.

In morbis acutorum morborum omniū etiā sine febre existentium, non semper sūt certæ prænuntiationes, ob subitas quæ in his contingunt mutationes humorum, acutos morbos efficientium, naturam sequentes, & quia humor infestans ex aliis in alias partes transfluit.

APHOR. 20 ARGVM.

Qui facilè per iuuentutem, in senectute magna ex parte ægrè excernunt: qui contra per ætatis vigorem ægrè, in senectute facilè excernunt.

Ὁκόσοισι νέοισιν ἐοῦσιν, αἱ κοιλίαι ὑγραί εἰσι, τουτέοισιν ἀπογηράσκουσιν ξηραίνονται. ὁκόσοισι δ' ἢ νέοισιν ἐοῦσιν, αἱ κοιλίαι ξηραί εἰσι, τουτέοισι πρεσβυτέροισι γινομένοισιν ὑγραίνονται.

Quibus in iuuentute aluus est humecta, iis in senectute siccatur: Quibus contrà sicca astrictáque iuuenibus fuit, iis senibus humecta laxaque fit.

Humecta, deiectio liquida facilis-

lisque, vel ob frigidam hepatis intemperiem, vel excretiuæ potentiæ robur, aut ob bilem eò profluẽtem. *exiccatur*, fitque deiectio sicca ob flauæ bilis inopiam, & facultatem expultricem imbecillem. *Quibus iuuenibus*, existentibus. *aluus*, sicca est, ob nimirum intemperiem calidam hepatis, aut paucam ciborum ingestionem, aut tardam deiectionem. *senibus*, his senescentibus humectatur, eadem semper victus ratione in sumendis cibis obseruata.

APHOR. 21 ARGVM.

Qua ratione vehemens fames, & à frigiditate orta implacata appetentia curari possit.

Λιμὸν θώρηξις λύει.
Famen thorexis soluit.

Famem implacatam & à frigiditate ortam. *thorexis*, vini potio. *soluit*, vini potentis nimirum & meri, nam calefacit.

APHOR. 22 ARGVM.

Oppositorum opposita sibi inuicem remedia, satietatis & vacuationis exẽplo.

Ἀπὸ

Ἀπὸ πλησμονῆς ὁκόσα ἂν νοσήματα γένηται, κένωσις ἰῆται. καὶ ὁκόσα ἀπὸ κενώσιος, πλησμονὴ, καὶ τῶν ἄλλων ἡ ὑπεναντίωσις.

Qui à plenitudine morbi fiũt, vacuatione curantur: & qui ab inanitione proficiſcuntur, ſanantur plenitudine. Cæterorúmque contraria ſunt remedia.

Morbi, Partim geniti, partim gignendi, adhuc præſentes. *euacuatione*, *nam* morbi cauſam aufert. *plenitudine*, repletione ſiue refectione & ſatietate: nam illa adiiciunt quæ deficiunt: *cæterorumque contraria, &c.* modo ſimplices præter naturam fuerint affectus.

APHOR. 23. ARGVM.

Acutorum morborum extremus terminus circumſcribitur.

Τὰ ὀξέα τῶν νουσημάτων κρίνεται ἐν τεσσαρεσκαίδεκα ἡμέρῃσι.

Morbi acuti iudicantur intra dies quatuordecim.

Acuti morbi, ſimpliciter, quinimò exactè acuti, & accutiſsimi. *quatuorde*

cim, & intra dies quatuordecim. *iudicantur*, crisique finiũtur, fiunt enim ex tenui & acri materia, ob acrimoniã prompté resolubili & iudicabili.

APHOR. 24. ARGVM.

Septimanarum, quæ per quaternarios in duo æqua partiũtur, indicum quoque & iudicatoriorum dierum ratio exponitur.

Τῶν ἑπτὰ ἡ τετάρτη ἐπίδηλος. ἑτέρης ἑβδομάδος ἡ ὀγδόη ἀρχή. θεωρητὴ δὲ ἡ ἑνδεκάτη, αὕτη γάρ ἐστι τετάρτη τῆς ἑτέρης ἑβδομάδος. θεωρητὴ δὲ πάλιν ἡ ἑπτακαιδεκάτη. αὕτη γάρ ἐστι τετάρτη μὲν ἀπὸ τῆς τεσσαρεσκαιδεκάτης, ἑβδόμη δὲ ἀπὸ ἑνδεκάτης.

Index *septimi quartus*. Sequentis *septimanæ octauus initium. Spectandus quoque est vndecimus siquidem is secundæ septimanæ quartus est.* Rursumque *decimus septimus spectandus: is enim à quartodecimo quartus est, & ab vndecimo septimus.*

Index *septimi quartus*, de his enim quæ in septimo (qui est primæ septi-

manæ postremus) futura sunt, quarto die iudicia sumuntur. *sequentis*, incipit enim statim post vltimum primæ die. *vndecimus*, dies, qui secundam hanc septimanam in duo æqua partitur. *nã*, quid futurum sit decimoquarto die demonstrat. *v*, dies vndecim⁹. *quartus est* alterius septimanæ, cuius principiũ octau⁹ fuit. *decimus septimus*, septimanam tertiam in duo æqua diuidens. *nã* quid futurũ sit vicesimo die indicat. *quartodecimo*, postremo secundæ septimanæ die, cui tertiæ huius principium copulatur: *ab vndecimo septimus*, qui quartus erat secundæ septimanæ.

APHOR. 25 ARGVM.

AEstiuos morbos magna ex parte breues esse, autumnales longos, hyemem attingentes longissimos, quartanæ febris exemplo.

ΟΙ θερινοὶ τεταρταῖοι τὰ πολλὰ γίνονται βραχέες. οἱ δὲ φθινοπωρινοὶ μακροὶ, καὶ μάλιστα οἱ πρὸς τὸν χειμῶνα συνάπτοντες.

Æstiuæ quartanæ plerunque breues,

Autumnales longæ, & inter eas maximè quæ ad hyemem vsque pertinent.

Æstiuæ, nimirum per æstatem natæ. *plerunque*, modo omnia omnibus paribus paria respondeant: interdum enim quartana æstiua autumnali diuturnior, nimirum à vehemētiori causa orta, humoreque à quo nascitur copiosiore. *breues*, quòd tum vitiosi humores, ambiētis calore per vniuersum corpus fusi, promptè discutiantur, meatibus totius corporis patefactis. *Autūnales*, quartanæ, scilicet per autūnum natæ. *longæ*, tum quòd autumno sint peculiares, tum quia propter æstatem, quæ præcessit facultates factæ sint imbecilles. Adde quòd per ipsum corpus vniuersum superuacui humores, non ferantur, nec attenuati euaporent meatibus corporis occludi incipientibus, quòd humores tum minus sint attenuati, & crassiores, frigoreq; meatus corporis intercipiantur, nec humores noxii discutiantur.

APHOR. 26 ARGVM.

Præstare multo, vt conuulsio febrem præ-

pracedat, quàm vt sequatur.

Πυρετὸν ἐπὶ σπασμῷ βέλτιον γενέσθαι, ἢ σπασμὸν ἐπὶ πυρετῷ.

Conuulsioni febrem accedere satius est, quàm febri conuulsionem.

Febrem, ex repletione factam. *accedere*. sponte naturæ. *satius est*, frgidos enim humores, neruosas partes opplentes, & conuulsionem efficientes, calefacit, extenuat, discutit, coquit, coctos propellit, & foras protrudit. *conuulsionem*, ex inanitione, hæc enim maximum malum ægrotanti minatur & plane exitiosa est.

APHOR. 27 ARGVM.

Haud confidendum his quæ leuant, citra aliquam vel sponte vel arte factã euacuationem: neque symptomata præter rationem accidentia admodum pertimescenda.

Τοῖσι μὴ κατὰ λόγον κουφίζουσιν οὐ δεῖ πιστεύειν, οὐδὲ φοβέεσθαι λίην τὰ μοχθηρὰ γινόμενα παραλόγως. τὰ γὰρ πολλὰ τῶν τοιούτων ἐστὶν ἀβέβαια, καὶ οὐ πάνυ τι διαμένειν οὐδὲ χρονίζειν εἴωθεν.

Non, si quid in omrbis acutis fiat præter rationem leuius, fidere oportet, nec turbari si quid temere grauius acciderit. Istiusmodi enim multa sunt incerta, nec durare diu aut persistere solent.

Si quid fiat leuius, his que non ex ratione leuant & sine aliqua euacuatione, spontina aut medica, post signa coctionis, fidendum non est: nam recidiuam minantur, maligniusque reuertuntur: nec formidanda sunt symptomata, nempe difficilem spirationem, delirium, vehementem febrem, & id genus alia, quæ præter rationem eueniunt: nihil enim significant sed futuram morbi iudicationem ostendunt, quòd prius coctionis signa apparuerint. *Istius modi multa*, melior valetudo aut peior sine ratione. *Incerta*, stabilia non sunt, quia violenta multum durare non consueuerunt, sed facta iudicatione desinunt.

APHOR. 28 ARGVM.

In non exigua febre corpus eodem in statu permanere, vel magis quàm ratio postulat extenuari periculosum.

Τῶν πυρεσσόντων μὴ παντάπασιν ἐπιπολαίως τὸ διαμένειν καὶ μηδὲν ἐνδιδόναι τὸ σῶμα, ἢ καὶ συντήκεσθαι μᾶλλον τοῦ κατὰ λόγον, μοχθηρόν. τὸ μὲν γὰρ μῆκος νούσου σημαίνει, τὸ δὲ ἀσθένειαν.

Febricitãtium non omnino leuiter, corpus sibi constare nec minui, aut etiã plus æquo colliquefieri, malum. Hoc si quidem virium imbecillitatem, illud morbi diuturnitatem significat.

Leuiter, sed grauiuscule, & velut media quadam febre inter mitem admodum ac vehementem. *constare & nihil minui*, neque collabi, malum est: nulla enim alia de causa id euenit, nisi ob cutis densitatem, & humores crassos, frigidos, glutinosos, & ægre solubiles, vt necesse sit morbum diuturnum fore. *colliquefieri*, contabescere. *malum*, *illud enim* perstare corpus, & nihil imminui, morbi longitudinem significat. *imbecillitatem*, Imbecillitatem virium significat, quæ magna ex parte cutis & humoris tenuitatem consequitur.

APHOR. 29 ARGVM.

In vniuersali morborum principio cum materia est cruda, vacuanda ea quidem si turgeat: cæterùm in vigore & statu morbi ab omni remedio abstinendum.

ΑΡχομένων τῶν νούσων ἤν τι δοκέῃ κινέειν κίνει. ἀκμαζουσῶν δὲ ἡσυχίην ἔχειν βέλτιόν ἐστιν.

Incipientibus morbis si quid mouendum videtur, moue: Vigentibus autem quiescere multò præstat.

Incipientibus morbis, in principio vniuersali dũ materia est cruda. *Si quid* turgens. *mouendum videtur*, & phlebotomia vacuandum. *moue*, vt natura minorem iam factam materiam faciliùs cõcoquere & immutare possit. *Vigentibus* in ipso vigore morbi & statu. *quiescere*, & ab omni remedio abstinere: tunc enim natura materiam euincit, & concoctio fit, nec auxilio medico eget.

APHOR. 30 ARGVM.

Causam exponit cur in vigore morbi

bi à præsidiorum vsu supersedendum sit.

ΠΕρὶ τὰς ἀρχὰς καὶ τὰ τέλη πάντα ἀσθενέστερα. περὶ δὲ τὰς ἀκμὰς ἰσχυρότερα.

Circa initia & finem morborum remißiora sunt omnia, in vigore vehementiora.

Omnia, symptomata, accessiones, vigiliæ, dolores, sitis, inquietudines, & alia id genus, *remißiora*, & leuiora sunt. *in vigore*, in ipso vigore, in quo natura iam tota in hoc est vt noxios humores cõcoquat. *vehementiora*, symptomata sunt, morbum sequentia, veluti vmbra corpus.

APHOR. 31 ARGVM,

Idem docet quod paulò antè, malum nimirum esse vbi eius, qui è morbo cibũ capit non augetur corpus.

ΤΩ ἐξ ἀῤῥωστίης εὐσιτέοντι μηδὲν ἐπιδιδόναι τὸ σῶμα, μοχθηρόν.

Si à morbo bellè comedẽti corpus non proficiat, malum.

Comedenti, post ægritudinem. *proficiat*, quo ad vires & mollem carnem. *malum*, nam alterū horum significat, vel hunc plus ingerere ciborū quàm facultas adhuc ex morbo imbecillior possit conficere, vel malorum humorum tantam esse in vētriculo, reliquoque corpore copiam, vt quicquid ingestum fuerit, vnà statim corrumpatur.

APHOR. 32 ARGVM.

Conualescentium, qui melius euadūt & à morbo liberantur.

Ὡς τὰ πολλὰ πάντες οἱ φαύλως ἔχοντες, κατ᾽ ἀρχὰς μὲν εὐσιτέοντες καὶ μηδὲν ἐπιδιδόντες, πρὸς τῷ τέλει πάλιν ἀσιτέουσιν. οἱ δὲ κατ᾽ ἀρχὰς μὲν ἀσιτέοντες ἰσχυρῶς, ὕστερον δὲ εὐσιτέοντες, βέλτιον ἀπαλλάσσουσιν.

Qui aduersa valetudine abundè initio comedunt nec proficiunt, ij ferè tandē omnes in cibi fastidium incidunt: Contrà, qui initio forti inedia vsi, cibum postea appetere incipiunt, inualetudine facilius liberantur.

Qui

Qui aduersa valetudine &c, omnes fere conualescentes è morbo, qui male se habent propter prauorum humorum reliquias. *initio*, circa initia conualescentiæ bene cibati appetentes nimirum & cibum cupientes, non proficientes sed imbecilles remanentes: In fine cibum non appetũt ob prauorum humorũ reliquias, quæ ea quæ assumũtur corrumpunt. vnde progressu temporis tanta prauorum humorum copia generatur, vt actiones ventriculi, & imprimis appetentia ipsa, pereant. *contra &c*, qui verò conualescentes à morbo circa initia conualescentiæ à cibo abhorrent, postea bene comedentes melius euadunt & liberantur à morbo, quòd principio parum appetentes, non plus quàm vires conficere queant, assumãt: hinc fit vt vires quotidie auctæ, morbi reliquias prorsus dissipent, iisque dissipatis iterum probè appetant & comedant conualescentes.

APHOR. 33 ARGVM.

In omni morbo rationem firmam &

constantem esse nec appetentiam deiici, bonum.

EN πάσῃ νούσῳ τὸ ἐῤῥῶσθαι τὴν διάνοιαν, καὶ εὖ ἔχειν πρὸς τὰς προσφοράς, ἀγαθόν. τὸ δὲ ἐναντίον, κακόν.

In *quouis morbo valere rationem, rectéque se ad ea quæ sumuntur habere, bonum:* Contrà *verò habere se malum.*

In *quouis morbo*, similari, instrumentali, & communi. *Valere rationem*, neque lædi, *bonum*. quippe hoc ipsum probè esse affectum cerebrum omnésque neruosas partes significat. *sumuntur*, benéque appetere cibos, appetentia minimè læsa. *bonum*, ea enim quæ in ventre sunt, nempe cor, hepar, ventriculum, sana & robusta esse significat. *contrà*, vt si ratio ipsa & appetentia abolita turbataque fuerint. *malū*, hæc enim cerebri, & ventris inferioris summam præ se ferunt imbecillitatem.

APHOR. 34 ARGVM.

Qui morbi minus habeant periculi & qui plus.

ΕΝ τῇσι νούσοισιν ἧσσον κινδυνεύουσιν οἷσιν ἂν οἰκείη τῆς φύσιος, καὶ τῆς ἡλικίης καὶ τῆς ἕξιος, καὶ τῆς ὥρης ἡ νοῦσος ᾖ μᾶλλον, ἢ οἷσιν ἂν μὴ οἰκείη κατά τι τουτέων.

Minus periculosè ægrotant ij, quorum vel naturæ, vel ætati, vel consuetudini, vel tempori familiaris morbus est, quàm quibus horum nullo affinis cognatúsque existit.

M*inus ægrotāt*, in morbis omnibus calidis humidis frigidis, siccis, cū materia & sine materia. *minus periclitantur*, minusque moriūtur ii. *naturæ*, tēperaturæ totius vel partis, *aut ætati* annis distinctæ, *aut habitui*, corporisque consistentiæ. *aut tempori* aeri nimirum. *familiaris*, siquidem in eiusmodi breuis est in id quod præter naturā est lapsus, & rursus, in id quod secundū naturā redditus. Q*uam* quibus secundū nihil istorum Habitus, ætatis, naturæ. &c. *conruit*, periculo enim eiusmodi non vacant, quod non nisi à maxima & vehemētissima causa, excitentur. adde quòd longior in eiusmodi est in id quòd

præter naturam eſt lapſus: & ob id etiam longior in id quòd ſecundum naturam eſt redditus

APHOR. 35 ARGVM.

Partes ad ỽmbilicum & imum ỽentrem ſitas in morbis præſtare eſſe craſſiores, quàm ỽehementer extenuatas.

ΕΝ πάσῃσι τῇσι νούσοισι τὰ περὶ τὸν ὀμφαλὸν καὶ τὸ ἦτρον πάχος ἔχειν βέλτιόν ἐστι· τὸ δὲ σφόδρα λεπτὸν καὶ ἐκτετηκὸς, μοχθηρόν. Ἐπισφαλὲς δὲ τὸ τοιοῦτον καὶ πρὸς τὰς κάτω καθάρσιας.

In quouis morbo partes ad ỽmbilicum & infimum ỽentrem attinentes craßiores eſſe præſtat. harum ſiquidem extenuatio & tabes mala: Sed ad inferiores quoque purgationes parum tuta.

In quouis morbo, ſimilariũ & inſtrumentalium partium. *Partes*, vt ſunt ventriculus, hepar, lien, renes, vreteres, veſica, vterus, octo Epygaſtrii muſculi, meſenterium. *craßiores*, carnoſamque ſubſtantiam habere *præſtat.* Nam & calor natiuus validior, cõcoctio melior, & excretiones validio-

res. *harum extenuatio*, eiusmodi partiũ ad vmbilicum & imum ventrem attinentium. *mala*, nam & calor natiuus imbecillus est, neque fit proba concoctio, neque bonus generatur sanguis. *sed quoque*, eiusmodi partium extenuatio. *ad inferiores purgationes*, quæque per inferna fiunt. *parum tuta*, purgationes enim minus rectè procedũt, cum sint abdominis ipsius musculi excretionis instrumenta, fæcum potissimum & vrinæ.

APHOR. 36 ARGVM.

Hominum duo genera non temere medicamentis purgantibus vacuanda.

OI ὑγιεινῶς ἔχοντες τὰ σώματα, ἐν τῇσι φαρμακείῃσι καθαιρόμενοι ἐκλύονται ταχέως, καὶ οἱ πονηρῇ τροφῇ χρεόμενοι.

Qui corporum salubritate sunt præditi, ij purgante hausto medicamine statim deficiunt, vt & qui prauo alimento vtuntur.

Salubritate, functiones corporis perfectissimè obeuntes, atque adeò absoluta & integra sanitate præditi. *hausto,*

fortia nimirum &ab effectu cathartica quæque corpus multum exagitare possunt. *statim deficiunt*, & syncope prehenduntur. nō inueniens enim medicamētum sibi cognatum vitiosum & redundantem humorem quem educat, spiritus primùm dissipat, deinde humida discutit, & tandem solida tabefacit. quibus omnibus corpus humanum constituitur. *prauo alimento*, per medicamenta euacuati celeriter exoluuntur, nam medicamentum corruptos humores à prauis cibis natos attrahens, per sensibiles corporis partes agit, qui cum acres sint, & mordaces, transitu suo prædictis partibus molestiam inferunt, animique defectum plurimum pungentes, inducunt.

APHOR. 37 ARGVM.

Periculosum esse purgare eos qui corpore sunt commoderato.

OI εὖ τὰ σώματα ἔχοντες, φαρμακεύεσθαι ἐργώδεες.

Qui integra sunt corporis valetudine, medicationes ægrè molestéque ferunt.

corporis V*aletudine*, quíque integra ſanitate fruuntur. *medicationes*, non in ueniens enim medicamentum, humorem quem educat vitioſum in corpore cõmoderato & ſymmetro, ſymptomata magna parit, ſyncopas, vertigines, intenſa tormina, & id genus alias partéſque corporis tandem colliquat & abſumit. *ægrè*, difficulter & pernitioſé.

APHOR. 38 ARGVM.

AEgroto nonnunquam permittendus deterior cibus & potus.

ΤΟ σμικρῷ χεῖρον καὶ πόμα καὶ σιτίον, ἥδιον δὲ, τῶν βελτιόνων μὲν, ἀηδεστέρων δὲ, μᾶλλον αἱρετέον..

P*aulò peior, ſed ſuauior cibus & potus, meliori quidem ſed ingrato præferendus.*

P*eior*, cauſæque omnes ſalubres admouenda nimirum, educenda, facienda, ſumenda. *ſuauior*, eligendus & præferendus, partim vt ægrotanti, qui hoc cibo & potu delectatur, gratificemur partim etiam quòd illi vti iis ipſis vti

le sit. ventriculus enim quæ cum voluptate assumuntur, auidius amplectitur faciliúsq; concoquit. adde quòd quicquid in eo cibo & potu praui est emendatur, separatúrque ab eo quod bonũ est, & subinde per aluũ excernitur, *meliori*, cibo & potu. *sed ingrato*, modo sit ille paulò deterior. nã si valde sit prauus cibus & potus, nulla ratione ægrotantibus concedi debet. His enim solùm in his gratificandum, ad quæ nulla magna sequitur noxa.

APHOR. 39 ARGVM.

Rarius senes quàm iuuenes in morbos incidere.

OI πρεσβῦται τῶν νέων τὰ μὲν πολλὰ νοσέουσιν ἧσσον. ὅσα δὲ αὐτέοισι χρόνια νοσήματα γίνηται, τὰ πολλὰ ξυναποθνήσκει.

Magnam partem senes iuuenibus minus ægrotant: Semel autem diuturnis morbis correpti ferè vnà moriuntur.

Minus ægrotant, quòd continentissmè viuãt: nec perinde, vt iuuenes, invictus ratione peccent, à qua intem. perntiore superuacua cõplura in corpore

pore & cruditates tandémque morbi generantur. *morbis correpti*, per incontinentiã, aut alia de causa. *moriuntur*, aut insanabiles tota vita durant, idq; propter viriũ imbecillitatẽ, quæ frigidos morbos, quibus vt similibus prehẽduntur senes, concoquere non possunt.

APHOR. 40 ARGVM.

Postremam præcedentis aphorismi partem exemplo confirmat.

Βράγχοι καὶ κόρυζαι τοῖσι σφόδρα πρεσβύτῃσιν οὐ πεπαίνονται.

Destillationes & grauedines coctionem in valde senibus non admittunt.

Destillationes, siue, humorum à capite ad fauces fluctiones grauedines, humorum ad nares decubitus. *coctionem*, neque concoquuntur propter calotis inopiam & virium imbecillitatem.

APHOR. 41 ARGVM.

Quando in animi defectione ægrotantes mori contingit

Οἱ ἐκλυόμενοι πολλάκις καὶ ἰσχυρῶς ἄνευ φανερῆς προφάσιος, ἐξαπίνης τελευτῶσι.

Qui sæpè & vehementer sine causa manifesta animo linquũtur, ij derepentè moriuntur.

Qui sæpé, multisq; vicibus *sine causa*, extrinsecus eueniẽte. *linquũtur*, animique defectionẽ patiuntur. *moriuntur*, quòd vitale robur in iis admodum imbecille sit.

APHOR. 42. ARGVM.

Quænam Apoplexia curari, quæ minus possit.

Λύειν ἀποπληξίην ἰσχυρὴν μὲν ἀδύνατον, ἀσθενέα δὲ οὐ ῥηΐδιον.

Apoplexiam fortem nullo prorsus modo, debilem ægrè curaueris.

Apoplexiam forte, & vehementem, *nullo modo*, propter ablationẽ respirationis, sine qua nemo viuere potest. *debilem verò*, apoplexiam curare in qua ordinem aliquem seruat respiratio ipsa *ægrè*, omnibus & magna diligẽtia adhibitis præsidiis.

APHOR. 43 ARGVM.

Quando ij qui strangulantur ad vitã redeunt, & quando minus.

ΤΩν ἀπαγχομένων καὶ καταλυομένων, μηδέπω δὲ τεθνηκότων, οὐκ ἀναφέρουσιν οἷσι ἂν ἀφρὸς ᾖ περὶ τὸ στόμα.

Strangulati aut suffocati, nondum tamen mortui, ad se non redeunt, quibus circa os collecta spuma apparuerit.

Strangulati, laqueo aut manuum iniectione, quæ instar laquei sunt *suffocati*, dissoluti qui tamen mori debent ob strangulationem. *redeunt* non reuiuiscunt, nec ad vitam redeũt. *spuma*, in his enim vehementissimè cor incenditur, & pulmones magna cum vehementia sucussantur.

APHOR. 44. ARGVM.

Natura obessos celeriùs mori quàm graciles.

ΟΙ παχέες σφόδρα κατὰ φύσιν, ταχυθάνατοι γίνονται μᾶλλον τῶν ἰσχνῶν.

Qui naturà sunt valde crassi, breuiore vita fruuntur quàm qui graciles.

Qui natura statimque ab ortu & in-

eunte ætate.*crassi*,obesi.*breuiore vita*, citius intereunt,& moriũtur.*graciles*, graciliori vt enim plus caloris innati quàm obesis inest.

APH. 45. ARGVM.

Pueros comitiali morbo laborantes triplici potissimum ratione liberari.

Τῶν ἐπιληπτικῶν τοῖσι νέοισιν ἀπαλλαγὴν αἱ μεταβολαὶ μάλιστα, τῆς ἡλικίης, καὶ τῶν τόπων, καὶ τῶν βίων ποιέουσι.

Epilepsia laborantes pueros quum loci victúsque, tum maximè ætatis mutatio liberat.

Epilepsia, quicunque pueri morbo comitiali, quem epilepsiam medici vocant. *laborantes*, eàque afflicti. *ætatis*,puerilis in iuuentutem, quæ calida est & sicca,morbo comitiali frigido humido aduersa.*loci*, cum nimirum in calidiorẽ & sicciorem regionem transferuntur.*victúsque*,quo nimirum calidiorem & sicciorem habitum corporis efficiunt.*liberat*, & maximè quicunque à pituita prouenit.

APHOR. 46 ARGVM.

Vrgentiori dolori primò succurrendum

dum duorum dolorum exemplo.

Δύο πόνων ἅμα γινομένων μὴ κατὰ τὸν αὐτὸν τόπον, ὁ σφοδρότερος ἀμαυροῖ τὸν ἕτερον.

Ex *duobus simul doloribus non eundem locum occupantibus, qui vehementior est, alterius sensum obscurat.*

Doloribus, nō corporis partem eādē, *occupantibus*, infestantibus cum sensu tristi & molesto. *vehemētior*, vis enim sensifica tota ad vehemētiorem distrahitur. ob id minor minus sentitur.

APHOR. 47 ARGVM.

In tumoribus præter naturam dolores & febres excitari cum pus conficitur.

Περὶ τὰς γενέσιας τοῦ πύου οἱ πόνοι καὶ οἱ πυρετοὶ συμβαίνουσι μᾶλλον, ἢ γινομένου.

Dum pus fit, dolores ac febres accidunt magis, quàm confecto.

Pus, substantia crassum. *fit*, conficitur & elaboratur. *dolores*, fiunt, ratione qua materia circunstantes partes intendit ob ipsius fusionem & spirituum dissolutionem. *ac febres*, corde cōcalefacto.

confecto, quippe materia tum attenuata est, & multum ſpirituum exhalauit, putrida denique concocta ſunt.

APHOR. 48 ARGVM.

Contraria contrariorum eſſe remedia, motus & quietis exemplo.

ΕΝ πάσῃ κινήσει τοῦ σώματος, ὁκόταν ἄρχηται πονέειν, τὸ διαναπαύειν εὐθὺς, ἄκοπον.

Quoquo modo corpus moueatur, ſimul ac laborare cœpit, quies ſtatim laſsitudinem leuat.

Corpus, in omni corporis motu vehementiore. *Vbi laborare*, fatigari quoque & dolere. *quies laſsitudinem*, quòd in ea vires reficiantur ac reparentur.

APHOR. 49 ARGVM.

In obeundis exercitijs conſuetudinem multum poſſe.

ΟΙ εἰθισμένοι τοὺς συνήθεας πόνους φέρειν, κἂν ὦσιν ἀσθενέες ἢ γέροντες, τῶν ἀσυνήθων ἰσχυρῶν τε καὶ νέων, ῥᾷον φέρουσι.

Quotidianis laboribus aſſueti, etiamſi ainualidi ſint aut nes, inſuetis quamuis robuſtis & iuuenibus, facilius conſueta feruns

ferunt exercitia.

Laboribus assueti, qui consueti sunt solitos labores atque adeo omne exercitii genus ferre, multis actibus frequenter iteratis. *Inualidi*, imbecilles, minusque virium habeant. *aut senes*, quibus paucum calidum innatũ inest. *insuetis*, labores eiusmodi ferre. *iuuenibus facilius ferunt*, partes enim corporis ita exercitatæ, robustiores & duriores euadũt, mutuo ipsarum attritu, genuini caloris augmento, & spiritus citatiore motu.

APHOR. 50 ARGVM.

Longo tempore consueta insuetis minus molestare, de consuetudine tandem immutanda cogitandum.

ΤΑ ἐκ πολλοῦ χρόνου συνήθεα, κἂν ᾖ χείρω, τῶν ἀσυνήθων ἧσσον ὀχλεῖν εἴωθε. δεῖ οὖν καὶ ἐς τὰ ἀσυνήθεα μεταβάλλειν.

Consueta longo tempore, etiam si deteriora sint, insuetis minus molesta solent esse. Quare ad insolita quoque facienda mutatio.

Consueta penè in naturam transie-

runt. *deteriora*, haudquaquam natura bona. *insuetis*, natura innocuis. *quare insolita*, nõ repentè, sed paulatim. *facienda mutatio*, idque non in omni ætate, sed iuuẽtute maximè fieri debet.

APHOR. 51 ARGVM.

Naturam subitas mutationes non ferre, atque adeo illi nimiũ omne aduersum & inimicum.

ΤΟ κατὰ πολὺ καὶ ἐξαπίνης κενοῦν, ἢ πληροῦν, ἢ θερμαίνειν, ἢ ψύχειν, ἢ ἄλλως ὁκωσοῦν τὸ σῶμα κινεῖν, σφαλερόν. καὶ γὰρ πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον. τὸ δὲ κατ᾽ ὀλίγον, ἀσφαλές, καὶ ἄλλως ἢν καί τις ἐξ ἑτέρου ἐφ᾽ ἕτερον μεταβαίνῃ.

Semel multum & repentè vel vacuare, vel replere, vel calfacere, vel refrigerare, aut alio quouis modo corpus mouere periculosum: omne siquidem nimium naturæ inimicum. Paulatim verò quod sit tutum, cùm aliàs tum maximè vbi ab vno ad aliud facienda est mutatio.

Multum, & plus quàm vires tolerare posint. *repentè vacuare*, omnes ex æquo humores educendo, *vel replere*, plurimùm ac repentè, non vacat peri-

culo, quòd id vel suffocatio vel vasorum aliquorum ruptio subsequatur. *vel calefacere, vel refrigerare*, plurimũ ac repentè *periculosum*. hoc enim stuporem inducit, natiuúmque calorem extinguit, illud verò humores exurit & febres incendit. *corpus mouere*, vt exercitiis, balneis. *periculosum*, plurimùm ac repentè illa facere. *omne siquidem nimiũ naturæ inimicum*, commoderationem enim elementorum euertit. *tutum*, periculoque vacat.

APHOR. 52 ARGVM.

Non temere medico mutationi medicamentorum studendum.

ΠΆντα κατὰ λόγον ποιέοντι, καὶ μὴ γινομένων τῶν κατὰ λόγον, μὴ μεταβαίνειν ἐφ᾽ ἕτερον, μένοντος τοῦ δόξαντος ἐξ ἀρχῆς.

Non, si recta ratione gerenti omnia secundum eam minus succedat, protinus est ad aliud transeundum, modò illud constet quod ab initio visum fuit.

Recta ratione, inueniẽti quid morbus, quid ægri temperatura, ætas, vires, anni tempora, locus, consuetudo,

& cætera id genus, exigant. *ſecundum*, adhibitis ſedulo præſidiis omnibus. *Non eſt tranſeundum ad aliud*, facultate diuerſum medicamentum. *ab initio viſum*, vt ſi is ſit morbus quem eſſe ab initio putauit, nec aliud interueniat ſymptoma, quod illum à priore inſtituto recedere cogat.

APHOR. 53 ARGVM.

Eadem magna ex parte fieri quæ Apho.20. ſectionis huius ſecundæ docuit.

Ὁκόσοι τὰς κοιλίας ὑγρὰς ἔχουσι νέοι μὲν ὄντες, βέλτιον ἀπαλλάσσουσι τῶν τὰς ξηρὰς ἐχόντων. ἐς δὲ τὸ γῆρας, χεῖρον ἀπαλλάσσουσι. ξηραίνονται γὰρ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ τοῖσιν ἀπογηράσκουσι.

Quibus aluus eſt humida, iuuentam quidem agunt facilius quàm qui eandem ſiccam habent, ſed ſenectute difficilius defunguntur. Ipſis ſiquidem ſeneſcentibus ferè reſiccatur.

Aluus, Quicunque aluos humidas habent, vel ob cibi largiorem copiam, aut feſtinam deiectionem, vel intemperiem frigidam hepatis.

APHOR. 54 ARGVM.

Longam ſtaturam quæ in iuuentute pulchra eſt, matura ſenectute confici.

Μεγέθει δὲ σώματος ἐννεάσαι μὲν, ἐλευθέριον, καὶ οὐκ ἀειδές. ἐγγηρᾶσαι δὲ δύσχρηστον καὶ χεῖρον τῶν ἐλασσόνων.

Vt traducenda iuuẽtute liberalis & ſpecioſa corporis magnitudo, ita ſenectuti inutilis & paruitate deterior.

Magnitudo *liberalis*, proceritas, neque indecens magnitudo, ſed pulchra & decora propter rectitudinem. *deterior*, nam iſta mole grauati ſenes incuruantur ac gibboſi redduntur.





APHORISMORVM HYPPOCR.

LIBER. III.

ARGVMENTVM.

Tertius hic liber reducitur ad Aetiologiam ferè, locos duos communes indicans, vires ætatum, & morbos varios per ætates.

APHORIS. PRI. ARGVM.

Anni temporum mutationes, præsertim magnas & repentinas in ipsis particularibus anni temporibus accidentes, procreare morbos.

Αἱ μεταβολαὶ τῶν ὡρέων μάλιστα τίκτουσι νοσήματα, καὶ ἐν τῇσιν ὥρῃσιν αἱ μεγάλαι μεταλλαγαὶ ἢ ψύξιος, ἢ θάλψιος, καὶ τ᾽ ἄλλα κατὰ λόγον οὕτως.

Mutationes temporum potissimum pariunt morbos, & in ipsis temporibus magnæ mutationes frigoris aut caloris, cæterórumque

rorumque ad proportionem his respondentium.

Mutationes temporum. anni, sese mutuo consequentium & succedentium inuicem, ipsæque adeò temperamentorum alterationes. *potissimum pariunt morbos*, vt causæ effectrices, & externæ morborum gignendorum: quippe horum mutationes aërem etiam, quem assiduò inspiramus, corpora quoque nostra alterant, humorésque varios generant, & potissimum in his corporibus quæ sunt ad patiendum apta & idonea. *magnæ*, repentinæ. *mutationes aut frigoris, aut caloris*, verbi gratia hyeme, vel æstate, vel autumno pariunt morbos. *Cæterorúmque*, aliæque mutationes pro ratione eodem modo parere solent morbos. vt est mutatio humiditatis, vel siccitatis, ventorum copia aut defectus.

APHOR. 2 ARGVM.

Aliquas hominum temperaturas esse quæ ad æstatem bene se habeant, aliquas quæ ad hyemem.

ΤΩν φυσίων αἱ μὲν πρὸς θέρος, αἱ δὲ πρὸς χειμῶνα εὖ ἢ κακῶς πεφύκασι.

Naturarum quædam ad æstatem, aliæ ad hyemem benè aut malè se habent.

Naturarum hominum, quæ temperatura est ex quatuor elementis constans. *quædam*, frigidæ, humidæ. *ad æstatem*, bene se habent, quòd harum excessus & immoderatio æstatis caliditate & siccitate corrigatur ac temperetur. *aliæ*, calidæ & siccæ naturæ. *ad hyemem bene maléue se habent*, bene quidem quòd per vtramque oppositionem hyemis emendetur excessus, & ad symmetriam fiat reditus: malè verò frigidæ humidæ, quòd à simili hyemis temperatura earundem excessus augeatur.

APHOR. 3 ARGVM.

Morbos & ætates magis aut minus esse procliues & habiles ad ipsa loca & uictus rationes.

Τῶν νούσων ἄλλαι πρὸς ἄλλας εὖ ἢ κακῶς πεφύκασι, καὶ ἡλικίαι τινὲς πρὸς ὥρας, καὶ χώρας, καὶ διαίτας.

Morbi alij ad alia tempora benè vel malè se habent. Et quædam ætates ad

tēpora alia & loca & aliud victus gen⁹. Bene vel malè se habent, suntque magis aut minus procliues & habiles ad ipsam generationem & curationem. *& quædam ætates*, bene vel malè se habent. *ad alia*, vt æstatem, hyemem, non ad generationem quidem, sed ad curationē. *& loca & victus gen⁹*, bene vel malè se habent ætates quædam & naturæ.

APHORISMI. 4 ARGVM.

Autumnales morbi quando expectādi.

ΕΝ τῇσιν ὥρῃσιν ὅταν τῆς αὐτῆς ἡμέρης ὅτε μὲν θάλπος, ὅτε δὲ ψῦχος γίγνηται, φθινοπωρινὰ τὰ νουσήματα προσδέχεσθαι χρή.

In temporibus cùm eodem die modò calor modò frigus, autumnales morbi expectandi.

In temporibus, anni quibusuis. *calor*, vt meridie. *frigus*, vt in ipsa aurora & vesperi rursus. *fit*, idque plurimis consequenter diebus. *autumnales morbi*, qui inæquales sunt & inconstantes maliquæ iudicii.

APHOR. 5 ARGVM.

Ventos ipsos magnum habere momentum in procreandis morbis alijsque corporis malis, Austri & Aquilonis exemplo.

NΟτοι βαρήκοοι, ἀχλυώδεες, καρηβαρικοὶ, νωθροὶ, διαλυτικοί. ὁκόταν οὗτος δυναστεύῃ, τοιαῦτα ἐν τῇσιν ἀῤῥωστίῃσι πάσχουσιν. ἢν δὲ βόρειον ᾖ, βῆχες, φάρυγγες, κοιλίαι σκληραὶ, δυσουρίαι, φρικώδεες, ὀδύναι πλευρέων, στηθέων. ὁκόταν οὗτος δυναστεύῃ, τοιαῦτα ἐν τῇσιν ἀῤῥωστίῃσι προσδέχεσθαι χρή.

Auster auditum hebetat, caliginem visui obducit, caput grauat, membris tarditatem & languorem conciliat. Quum itaque is increbrescit, talia inualidis accidunt. Contrà Aquilo *tusses mouet, fauces exasperat, aluum indurat, vrinam supprimit, horrores excitat, lateris & pectoris dolores facit. Hoc itaque dominante, talia infirmos expectare oportet.*

Auster, natura calidus, humidus, à meridie spirans. *auditum hebetat*, vt qui sua humiditate sensuum instrumenta impleat & obtundat. *caliginem*, ratione oculorum, quos obtenebrat, & ratione sui, dum turbulentum, crassum,

& caliginosum aërem efficit. *caput grauat*, quòd hoc ipsum nimia humiditate compleat. *tarditatem*, pigritiam inferens, principio neruorum plus æquo hu mectato, & languidas reddens corporis partes omnes, & neruos potissimum relaxãs. *increbrescit*, quando eiusmodi tempestas & constitutio austrina prævaluerit longóque tempore durauerit. *talia*, symptomata *inualidis* in morbis patiuntur qui ægrotant. *contra* Aquilonia si fuerit constitutio, & tempestas austrinæ contraria. *tusses*, quòd tum frigidus inspiretur aër, qui asperam arteriam, aliáque instrumenta inspirationi seruientia, lædit. *fauces*, faucium asperitates fiunt, quòd aër inspiratus faucibus primùm occurrens eas inæqualiter desiccat, & exasperat. *aluum*, totum enim corpus flante Borea exiccatur, & feces longiori tempore detinentur, nec excernuntur. *Vrinã*, quòd vesica pars neruosa ab Aquilonis frigore offenditur. *horrores*, quòd aër frigidus sit, & consequio totum corpus frigescat. *lateris*, ob frigidita-

tem, quæ has partes mala qualitate afficit, & ad respirationis motum ineptiores reddit, *dominante* quãdo hæc tempestas præualuerit, & Aquilo vehementior & crebrior cæteris ventis fuerit. *talia*, symptomata. *infirmos*, in morbis iam factis expectare oportet.

APHOR. 6 ARGVM

Qua ratione febres in ea ætate que Veri similis est, finiantur.

Ὁκόταν θέρος γένηται ἦρι ὅμοιον, ἱδρῶτας ἐν τοῖσι πυρετοῖσι πολλοὺς προσδέχεσθαι χρή.

Quum æstas sit similis veri, sudores. in febribus multos expectare oportet.

Æstas, natura calida sicca veri, & temperaturã commoderatam habẽtẽ *in febribus*, & morborũ aliorũ, qui sudoribus finiuntur iudicationibus, *expectare oportet*, nam tunc æstas moderato suo calore humiditates corporis ad cutim trahit, nõ autẽ per modũ vaporis discutit, vnde vniuersa humiditas in febrium iudiciis excreta sudores efficit.

APHOR. 7 ARGVM.

Temporis ac totius anni constitutionibus respondere morbos magna ex parte.

EN τοῖσιν αὐχμοῖσι πυρετοὶ ὀξέες γίνονται. καὶ ἢν μὲν ἐπὶ πλέον ἧ τὸ ἔτος τοιοῦτον ἐὸν, οἵην τὴν κατάστασιν ἐποίησεν, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ καὶ τὰ νοσήματα τοιαῦτα δεῖ προσδέχεσθαι.

Magnis siccitatibus febres fiunt acutæ. Quod si annus talis esse pergat, qualem temporis statum effecerit, tales ferè morbos expectare oportet.

In *siccitatibus*,& temporibus plus iusto siccioribus, *febres acutæ*, quæ citò desinunt , & grauia habent symptomata. *fiunt*, siccitas enim humores efficit biliosos, qui subinde febres pariunt acutas. *annus*, vniuersus magna ex parte talis fuerit, vt siccitas humiditati præualeat. *statum*, qualem fecerit constitutionem siccam, humidam, calidam. *morbos*, siccos ac biliosos, atque adeò acutos, si anni constitutio sicca, humidos, pituitosos, & longos morbos si humida fuerit.

APHOR. 8 ARGVM.

Quibus anni temporibus synceri morbi, & boni iudicij fiant, & quibus instabiles malique iudicii.

ΕΝ τοῖσι καθεστῶσι καιροῖσιν ἢν ὡραίως τὰ ὡραῖα ἀποδιδῶσιν, εὐσταθέες καὶ εὐκρινέες αἱ νοῦσοι γίνονται. ἐν δὲ τοῖσιν ἀκαταστάτοισιν ἀκατάστατοι καὶ δύσκριτοι.

Certis temporibus & suam tempestiuitatem seruantibus certi & tempestiui, ac iudicatu faciles morbi fiunt. Incertis autem & alienis, incertæ quoque ægrotationes fiunt & ad iudicandum difficiles.

Certis, & moderatis quæque ordine quodam suam seruant temperaturam. *Tempestiuitatem seruantibus*, cũ opportune ac suo tẽpore tẽpestiua omnia reddũtur, vt cum syderum ortus & occasus, pluuia, serenitas, & vẽti ordine naturali fiunt. *certi & tempestiui*, morbi constantes stabiles, faciles, & ansceri. *iudicatu faciles*, quippe tum yntura & facultas robustæ sunt, faciléque morbi stabilis causas demoliuntur. *incertis* inconstantibus autem, & immoderatis temporibus, in quibus nihil mode-

ratum existit, sed omnia turbata. *incerta*, inconstantes, instabiles, inquieti, & turbarum pleni morbi fiunt. *difficiles*, quòd statim perniciosi, cum periculo sis & grauibus symptomatibus iudicētur, vel omnino faciant recidiuam.

APHOR. 9 ARGVM.

Autumnum magna ex parte insaluberrimū esse, Ver autem saluberrimum.

ΕΝ φθινοπώρῳ ὀξύταται αἱ νοῦσοι, καὶ θανατωδέσταται τὸ ἐπίπαν. ἦρ δὲ ὑγιεινότατον, καὶ ἥκιστα θανατῶδες.

Autumno in vniuersum morbi acutissimi & perniciosissimi: Ver autem saluberrimum & minimè exitiosum.

Acutissimi, vehementissimi & ad suum vigorem celerrimè properantes *in vniuersum*, magna ex parte, propter eius inæqualitatem quæ multorum prauorum humorum causa existit: deinde quòd æstiuum tempus, quod præcessit, humores veluti assauit. Præterea per æstum vires redditæ sunt imbecilles, atque adeò vitiosi humores,

iterum petere (ob ambientis frigiditatem, quæ matutino tempore ac vesperi viget) profundũ corporis incipiunt. Adde quòd hoc tempore propter fructuum ferè omnium copiam praui humores procreantur. *Ver saluberrimum*, Propterea quòd sit temperatum. *minimè exitiosum*. minúsque exitiosis morbis obnoxium. Vtcunque autem in vere morbi contingant, tamen omnes eiusmodi erunt, vt periculo vacent.

APHOR. 10. ARGVM.

Autumnum tabidis & extrema consumptis macie perniciosum.

Τὸ φθινόπωρον τοῖς φθίνουσι κακόν.
Autumnus tabidis nocuus.

Autumnus tabidis nocuus, & quibus pulmo exulceratur malus: carnibus enim & omni pinguedine destituti, nullum omnino propugnaculum habent, quo ab iniuria causarum externarum vindicentur: quippe autumni frigus in profundum subiens, pulmonem potissimum aliásque principes partes, infestat & lædit.

APHOR. II ARGVM.

Anni tempora à sua commoderatione recedentia, multa mala hominibus adferre.

ΠΕρὶ δὲ τῶν ὡρέων, μὲν ἢν ὁ χειμὼν αὐχμηρὸς καὶ βόρειος γένηται, τὸ δὲ ἔαρ ἔπομβρον καὶ νότιον, ἀνάγκη τοῦ θέρεος πυρετοὺς ὀξέας καὶ ὀφθαλμίας, καὶ δυσεντερίας γίνεσθαι, μάλιστα δὲ τῇσι γυναιξὶ, καὶ ἀνδράσι τοῖσιν ὑγροῖσι τὰς φύσιας.

Inter anni partes, si hyems sicca & aquilonia, ver pluuiosum & australe fuerit, æstate necesse est febres acutas fieri & ophthalmias, & dysenterias, mulieribus præsertim & viris naturâ humidioribus.

De temporibus anni. *anni partes, hyems*: quæ cum moderata est, nec valde sicca est, nec suprà id quod opportunum est frigida. *sicca & Aquilonia*, paulóque quàm suæ naturæ conueniat, & siccior, & frigidior. Ver, alioqui temperatum. *pluuiosum*, assiduê. *& australe*, calidumque. *necesse est æstate*, modo suam hæc ipsa seruet natu-

ram. *febres acutas*, humiditates enim in noſtrum corpus receptæ, tum ebulliunt, & corrumpuntur, vnde per arterias ad cor perueniente corruptione, febres acutæ neceſſariò fiunt. *ophthalmias*, & lippitudines, caput enim humiditatibus plenum cum ſit, quæ ſuperueniente æſtate efferueſcunt, & ebulliunt, & per venas neruóſque ſuos ad oculos decumbunt. *diſenterias*, inteſtinorum difficultates eadem materia ebulliente, & à capite ad inteſtina tranſmiſſa, quæ tandem ſua mordacitate inteſtina corrodit, & exulcerat. *mulieribus*, humidis & ocioſis. *& humidioribus*, ob id paratioribus ad ſupradictos affectus.

APHOR. 12 ARGVM.

Variè affici homines ob duas alias temperaturas temporum ſupradictorum non naturales.

διεινός Ἢν δὲ νότιος ὁ χειμὼν καὶ ἔπομβρος καὶ εὔδιος γένηται, τὸ δὲ ἔαρ αὐχμηρὸν καὶ βόρειον, αἱ μὲν γυναῖκες ἧσιν οἱ τόκοι πρὸς τὸ ἦρ, ἐκ πάσης προφάσιος ἐκτιτρώσκουσιν.

αἱ δ'

αἳ δ' ἂν τέκωσιν, ἀκρατέα καὶ νοσώδεα τὰ παιδία τίκτουσιν, ὥστε ἢ παραυτίκα ἀπόλλυσθαι, ἢ λεπτά καὶ νοσώδεα ζῆν ἐόντα. τοῖσι δὲ ἄλλοισι δυσεντερίαι, καὶ ὀφθαλμίαι ξηραὶ γίνονται, τοῖσι δὲ πρεσβυτέροισι κατάρροι συντόμως ἀπολλυῶντες.

Contrà vero si australis hyems & pluuiosa & tepens fuerit, ver siccum & aquilonium, mulieres quibus partus in ver incidit quauis occasione abortiunt, aut si pariant, tam infirmos & morbosos partus edunt, vt vel statim ipsi intereant, vel tenues & valetudinarij viuant. Cæteris dysenteriæ & ophthalmiæ siccæ fiunt, & senibus catarrhi perniciem breui allaturi.

Australis, Hyems calida nimirum. & *pluuiosa*, supramodum. *Aquilonium*, frigidum nimirum, vt præscriptæ hyemi sibique ipsi opponatur, *partus incidit*, imminet verno ipso tempore. *abortiunt*, quando quidem cotyledones ob humiditatem relaxantru, & vis frigoris vterum penetrat, fœtumque lædit, qui subinde calcitrans, & sine ordine se mouens, ligamenta &

cotyledones disrumpit, & tandem egreditur, potentia excretrice suscitata, & fœtum propellente. *si pariunt*, vbi ad legitimum vsque tempus in vtero gestauerint. *morbosos*, imbecilles, & inualidos, legitimo tempore expectato. *statim intereunt*, ob subitam in contrarium mutationem. *viuunt*, emendata noxa quam in vtero contraxerunt, recta victus ratione, aliisque commodis præsidiis. *Cæteris*, iunioribus nimirum hominibus, ceu pituitosis. *dysenteriæ*, ob pituitam, quæ à capite ad ventrem defluit, in quo moram diutiùs trahens mordet, atque abradit intestina. *ophthalmiæ* biliosis maximè, frigus enim superueniens, veluti manus quædam extrinseca, capit quandam vti spongiam cerebrum, atque adeò exprimit illam quæ in ipso continetur humiditatem. *Senibus catarrhi*, destillationes & fluxiones. *perniciem*, quæ citò interimant: quòd per venas à capite, ad partes inferiores tendẽtes plenitudinem faciant, & neruorum dissolutionem, vnde & velociter terminantur.

APHOR. 13 ARGVM.

Aestatem & autumnum à sua com moderatione declinātia hominibus morbos inferre.

ΗN δὲ τὸ θέρος αὐχμηρὸν καὶ βόρειον γένηται, τὸ δὲ φθινόπωρον ἔπομβρον καὶ νότιον, κεφαλαλγίαι ἐς τὸν χειμῶνα γίνονται, καὶ βῆχες, καὶ βράγχοι, καὶ κόρυζαι, ἐνίοισι δὲ καὶ φθίσιες.

Aestate vero sicca & aquilonia, Autūno pluuioso & australi, vehementes capitis dolores in hyemem, & tusses, raucitates, & grauedines, nonnullis etiam tabes expectandæ.

Aquilonia, frigida nimirum, atque adeò à sua naturali temperatura, quæ calida est, declinante. *Dolores capitis ad hyemem fiunt*, siquidem humidus supramodum autumnus caput multis humiditatibus explet, quas frigida hyems quæ subsequitur, in vnum cogit & compingit. *Et tusses* humoribus nimirum à capite expresfis, & in thoracem defluentibus. *raucitates*, siue raucedines, prædictis humorib9 ad fauces

deriuatis.*grauedines*, vbi ad nares humor delabitur.*tabes*, pulmonumque exulceratio, & maximè his, qui ad eam apti sunt.

APHOR. 14. ARGVM.

Autumnus perinde atque æstas Aquilonius & siccus, quos morbos inferat.

ΗΝ δὲ βόρειον ᾖ καὶ ἄνυδρον, τοῖσι μὲν ὑγροῖσι ἐοῦσι τὰς φύσιας, καὶ τῇσι γυναιξὶ ξύμφορον, τοῖσι δὲ λοιποῖσιν ὀφθαλμίαι ἔσονται ξηραὶ, καὶ πυρετοὶ ὀξέες, καὶ μακροὶ, ἐνίοισι δὲ καὶ μελαγχολίαι.

Aquilonio vero & sicco autumno, hominibus natura humidis & mulieribus commoditas parabitur. A*lios ophthalmiæ siccæ; & febres partim acutæ partim longæ, quosdam etiam melancholiæ male habebunt.*

Autumno, perinde atque æstate.*commoditas parabitur*, conferet: exiccantur enim ob hanc constitutionem, & ad hyemem exiccati perueniunt. *alios* &c. qui non sunt natura præditi ophthalmiæ siccæ, siccãtur enim supramodum. eueniunt *& febres acutæ*, quòd

quòd nimirum tenuiſsimà parte bilis reſoluta maneat acerrima. *longæ*, vt quartanæ ſunt, bilis ſiquidem atra, ex qua hæ proueniunt, bifariam generatur, & quòd flaua bilis ſuperaſſetur abſumaturque & quòd ſanguis craſſeſcat *quoſdam*, non omnibus enim accidunt. *melancholiæ*, atræ biles & potiſsimum hos qui atra bile natura abundant.

APHOR. 15 ARGVM.

Simplicem totius anni temperaturam ſiccam, imbribus aſsiduis præferendam.

ΤΩν δὲ καταστασίων τοῦ ἐνιαυτοῦ τὸ μὲν ὅλον οἱ αὐχμοὶ τῶν ἐπομβριῶν εἰσιν ὑγιεινότεροι, καὶ ἧσσον θανατώδεες.

Ex tempeſtatibus anni in vniuerſum ſiccitates aſsiduis imbribus ſalubriores, & minus mortiferæ.

Ex *anni tempeſtantibus* conſtitutionibus & diſpoſitionibus, *in vniuerſum* quod in totum dixerim, vt ſimul omnia comprehendam. *ſiccitate imbribus ſunt ſalubriores*, humiditates enim ſuperfluæ temporibus ſiccis exiccantur,

neque tot generantur, & quæ iam genitæ sunt corriguntur. Adde siccitatem à putredine liberare, quam humiditas inducit. *& minus mortiferæ*, plures enim ab humiditate, putredinum causa, quàm à siccitate, conseruatiua, mori constat.

APHOR. 16 ARGVM.

Prædictas duas constitutiones varia morborum genera adferre.

Νοσήματα δὲ ἐν μὲν τῇσιν ἐπομβρίῃσιν ὡς τὰ πολλὰ γίνεται, πυρετοί τε μακροὶ, καὶ κοιλίης ῥύσιες καὶ σηπεδόνες, καὶ ἐπίληπτοι, καὶ ἀπόπληκτοι, καὶ κυνάγχαι. ἐν δὲ τοῖσιν αὐχμοῖσι, φθινώδεες, ὀφθαλμίαι, ἀρθρίτιδες, στραγγουρίαι, καὶ δυσεντερίαι.

Aßiduis imbribus morbi ferè fiunt, febres longæ, fluxiones alui, putredines, epilepsiæ, apoplexiæ, anginæ. Siccitatibus autem morbi tabifici, ophthalmiæ, articulorum dolores, vrinæ & intestinorum difficultates.

Imbribus, morbi plùuiarum multitudine. *ferè*, magna ex parte, in humida enim constitutione alii etiã morbi

bi ab Hippocrate non commemorati nasci possunt. *febres longæ*, nam corpora multa humiditate implentur facilè putrescente, quæ non nisi in lõgo tẽpore concoqui potest, quòd vtplurimum crassa, glutinosa, & densa sit. *fluxiones*, homines enim in humida constitutione crebrò per aluum egerunt illam humorum superabundãtiam. *putredines*, simpliciter & absolutè. *epileptiæ*, morbi comitales. *apoplexiæ*, nam hæc duo mala ex pituita, quæ per imbres generatur, nasci cõsueuerunt. *& anginæ*, nonnunquam superfluitatum multitudine ad fauces collecta, vel magna ex parte fluxionibus ex capite firmatis in faucibus. *in siccitatibus*, morbi tabem adferentes, fiunt, exclusa tamen pulmonis exulceratione, quæ in sicciore tempore potiꝰ curatur, quàm irritetur. *ophthalmiæ*, siccæ, materia nimirũ biliosa, aridáque ad oculos trãsmissa, per siccitates, quæ & pruritum excitat, & ipsos exulcerat. *articulorum dolores*, non quidem omnes, sed ii tantum qui ex humorum acrimonia, ad

articulos decumbente procreantur, quod accidit si accesserit etiam siccitati caliditas. *Vrinæ*, stillicidia vrinæ, quoniã biliosi humores & acuti mordent, & continuè excitant vesicam, & stillatim effundunt vrinam. *difficultates intestinorum*, accidũt per siccitates ingentes.

APHOR. 17 ARGVM.

Quæ commoda, quæque nocumenta quotidiana constitutio pariat.

Αἱ δὲ καθ' ἡμέρην καταστάσιες, αἱ μὲν βόρειοι τά τε σώματα συνιστᾶσι, καὶ εὔτονα, καὶ εὐκίνητα, καὶ εὔχροα, καὶ εὐηκοώτερα ποιέουσι, καὶ τὰς κοιλίας ξηραίνουσι, καὶ τὰ ὄμματα δάκνουσι, καὶ περὶ τὸν θώρηκα ἄλγημα ἤν τι προϋπάρχῃ, μᾶλλον πονέουσιν. αἱ δὲ νότιοι διαλύουσι τὰ σώματα, καὶ ὑγραίνουσι, καὶ βαρυκοΐας, καρηβαρείας ποιέουσιν, καὶ ἰλίγγους ἐν τοῖσιν ὀφθαλμοῖσι, καὶ τοῖσι σώμασι δυσκινησίην, καὶ τὰς κοιλίας ὑγραίνουσι.

Quotidianæ tempestates, aquiloniæ cogunt corpora firmántque, mobiliora item expeditioráque, & coloratiora & au-

ditu valentiora reddunt, aluum siccāt, oculos mordet, & si pectus dolor aliquis prius habuerit, exasperant: Contrà, austrinæ eadem soluunt & humectant, auditum hebetant, caput grauant, vertiginem oculis, tarditatem & languorem corporibus adferunt, aluum humectant.

Tempestates, perseuerantes. *aquiloniæ*, frigidæ siccæ. *cogunt*, corpora densant, & sua frigiditate contendunt, robustioraque reddunt, & validiora. *expectatiora*, quod superuacuas corporis humiditates exhauriant, ac dissipent, leuioraque corpora, & ad motũ promptiora efficiãt. *coloratiora*, quod omnes actiones naturales, & sanguinis probã in iecore elaborationem coadiuuent. *auditu valentiora*, omnes enim actiones animales firmant. *aluum siccant*, durásque efficiunt, vt suprà Aphoris. 5. dictum est. *oculos mordent*, sua frigiditate, non erodendo vt calidũ, sed continuum diuellẽdo. *& si pectus*, ipsumque adeò thoracem. *exasperent*. nec mirum, cùm eum etiam qui prius nõ adfuit excitent, quippe frigidum inimi-

cum ossibus & pectori existit. *austrinæ,* constitutiones calidæ humidæ. *soluũt corpora, & c.* languida reddunt, ob causas præcitato Aphor. adductas. *& vertiginem,* excitatur enim flatus, capite humiditate multa cppleto, qui circa oculos mouetur, & vertigines parit. *tarditatem adferunt,* siquidem principio neruorum humectato circa voluntarios motus pigritiam apparere necesse est. *& aluũ humectant,* & per ea liquida per inferiora excernuntur.

APHOR. 18 ARGVM.

Quæ quibus ætatibus sint maximè cõmoda tempora.

Κατὰ δὲ τὰς ὥρας, τοῦ μὲν ἦρος καὶ ἄκρου τοῦ θέρεος, οἱ παῖδες, καὶ οἱ τουτέων ἐχόμενοι τῇσιν ἡλικίῃσιν ἄριστά τε διάγουσι καὶ ὑγιαίνουσι μάλιστα. τοῦ δὲ θέρεος καὶ τοῦ φθινοπώρου μέχρι μὲν τινὸς οἱ γέροντες. τὸ δὲ λοιπὸν φθινοπώρου καὶ τοῦ χειμῶνος, οἱ μέσοι τῇσιν ἡλικίῃσι.

Quod ad tempora verò pertinet, vere & prima æstate pueri & his ætate proximi optimè degunt, valentq́ maximè.

Aestate

Aestate verò & autumni ad aliquam vsque partem senes. Reliquo autumno & hyeme qui mediam ætatem agunt.

Prima æstate, principio nimirũ æstatis. *pueri & proximi &c.* nempe adolescentes. *optimè degunt*, quòd eorundem naturæ temporum horum temperatura maximè conueniat. adolescentes enim quorum natura temperata est, in ipso vere quod itidem temperatum existit, optimè degunt, pueri autem æstatis principio, hoc enim parum à mediocritate ad calorem & siccitatem declinat, atque adeò puerorũ naturæ, quæ calida & humida est, magis quadrant. *Aestate verò & autũno*, autumni nimirum prima parte. *senes*, optimè degunt, vtpote natura frigidi. *reliquo & hyeme*, optimè degunt. *qui mediã ætatem agunt*, interadolescentiã & senectutem, quos iuuenes & florentes ætate rectè appellaueris, hi enim cũ calidi sint & sicci, hyeme quæ contraria est, salubrius degunt.

APHOR. 19 ARGVM.

Omnia morborum genera in singulis

anni temporibus irruere posse nedum horum temperatura congenera.

Νοσήματα δὲ πάντα ἐν πάσῃσι τῇσιν ὥρῃσι γίνεται, μᾶλλον δ᾽ ἔνια κατ᾽ ἐνίας αὐτέων καὶ γίνεται καὶ παροξύνεται.

Quilibet in quibusuis teporibus morbi fieri possunt: Nonnulli tamen in quibusdam magis tum fiunt tũ irritantur.

Quilibet, generisq; omnis quibuslibet nullo temporis ad tempus habito discrimine. *irritantur*, quòd hæc tempora morborum eiusmodi naturæ sint accommodata.

APHOR. 20 ARGVM.

Morbi recensentur magna ex parte accidere soliti verno tempore.

Τοῦ μὲν γὰρ ἦρος τὰ μανικὰ καὶ τὰ μελαγχολικὰ, καὶ τὰ ἐπιληπτικὰ, καὶ αἵματος ῥύσιες, καὶ κυνάγχαι, καὶ κόρυζαι, καὶ βράγχοι, καὶ βῆχες, καὶ λέπραι, καὶ λειχῆνες, καὶ ἀλφοὶ, καὶ ἐξανθήσιες ἑλκώδεες πλεῖσται, καὶ φύματα, καὶ ἀρθριτικά.

Vere enim insania, melancholia, epilepsia, fluxiones sanguinis, anginæ, grauedines, destillationes, tusses, lepra, impetigines,

gines, vitiligines & pustulæ vlcerosæ plurimæ, tubercula, articulorum dolores.

Vere *insaniæ*, furores melancholiæ & atræ biles fiunt, non quòd hoc tempore biliosi & melancholici humores generentur, sed quòd aliis temporib⁹ procreati sint, ac hyeme in corporis profundo delitescentes nunc tandem veris caliditate diffusi ac cōmoti maniam ac melancholiam pariant. *epileptiæ*, morbi comitales, propter pituitā per hyemem in corpore natam, vere autem commotam & diffusam. *& fluxiones sanguinis*, omnésque sanguinis excretiones mediocres siue per nares, siue per hæmorrhoides: siue per vterum fiant, verno enim tempore sanguis crescit, ac incrementum suscipit. *anginæ*, quòd humores diffusi ad fauces aut guttur confluant, ibique inflāmationem pariant. *grauedines, destillationes*, raucedines. *tusses*, propter pituitam hyeme in capite natam, vere autē diffusam ad nares, aut fauces, aut pulmonem. *lepræ*, quòd ipso vere pra-

ui & maligni humores à profũdo corporis, vt centro, ad cutem ipſam, vt circunferentiam deferantur. *& impetigines*, ex ſeroſis, tenuibus, acribúſq; humoribus, vnà cum craſſioribus permixtis generari ſolitæ. *vitiligines*, quæ quandoque à pituitoſo, quandoque à melancholico humore fiunt. *tubercula*, ad cutem nimirum malorum humorum abundantia euocata. *articulorum dolores*, ad quos vt viliores & imbecilliores, à natura alieni humores deferuntur.

APHOR. 21 ARGVM.

Aeſtiui morbi exprimuntur, quorum quidam proprij, quidam alieni ſunt.

ΤΟΥ̃ δὲ θέρεος ἔνιά τε τουτέων, καὶ πυρετοὶ ξυνεχέες, καὶ καῦσοι, καὶ τριταῖοι πλεῖστοι, καὶ τεταρταῖοι, καὶ ἔμετοι, καὶ διάῤῥοιαι, καὶ ὀφθαλμίαι, καὶ ὤτων πόνοι, καὶ στομάτων ἑλκώσιες, καὶ σηπεδόνες αἰδοίων, καὶ ἵδρωα.

Aeſtate verò nonnulli horum & febres continuæ, & ardentes, & tertianæ plurimæ, quartanæ item, & vomitiones,

alui

alui profluuia, ophthalmiæ, aurium dolores, oris vlcerationes, genitalium putredines, & sudationes.

Æstate, eius videlicet initio. *nonnulli*, morbi fiunt. *horum*, qui scilicet vere accidunt. *febres continuæ, & ardentes*, ob flauam bilem, quæ plurima æstate aceruatur, intra vasa putrescentem. *tertianæ*, ob supradictum humore extra vasa putrescentem. *quartanæ*, atque hæ quidem in extrema æstatis parte, quæ ad autumnum vergit, eiúsque naturæ proxima est, accidunt. *vomitiones*, biliosa materia, quæ leuis est, exuberante & vomitum proliciente. *alui profluuia*, bilioso humore per inferiora defluente & excretionem irritante. *ophthalmiæ*, lippitudines oculorum. *aurium dolores*, quum enim calida sit æstas, humores dissoluit meatúsque aperit. *& oris vlcerationes*, propter biliosos humores ad os delatos. *genitalium putredines*, nam quum hæ partes humidiores sint, humiditas à callidit ate promptè corrũpitur. *& sudationes*, quæ pustulæ sunt, à sudori-

bus biliosioribus vel mordacioribus prouenientes.

APHOR. 22 ARGVM.

Morbi autumno potißimum fieri soliti exponuntur.

ΤΟΥ͂ δὲ φθινοπώρου, καὶ τῶν θερινῶν τὰ πολλὰ, καὶ πυρετοὶ τεταρταῖοι καὶ πλανῆτες, καὶ σπλῆνες, καὶ ὕδρωπες, καὶ φθίσιες, καὶ στραγγουρίαι, καὶ λειεντερίαι, καὶ δυσεντερίαι, καὶ ἰσχιάδες, καὶ κυνάγχαι, καὶ ἄσθματα, καὶ εἰλεοὶ, καὶ ἐπιληψίαι, καὶ τὰ μανικὰ, καὶ τὰ μελαγχολικά.

Autumno æstiui etiã multi morbi, & febres quartanæ, & incertæ, lienis tumor, aqua inter cutem, tabes, vrinæ difficultas, intestinorũ tum læuitas tum difficultas, coxæ dolores, angina, anhelatio, intestinorum parte quapiam coarctatio, epilepsia, insania, melancholia.

Autumno multi, manente adhuc autumni initio bilioso humore à quo febres continuæ, & tertianæ, aliiq; morbi fiunt. *quartanæ*, vtpote illi peculiares, duplicem habẽtes generationem, alteram à flaua bile superassata, alterã à sanguine

à sanguine crasso. *incertæ*, erraticæ, ob atram bilem, quæ in quibusdam partibus mouetur, in quibusdam immota manet, in aliis putrescit aut feruere incipi.. *& lienis tumores*, magni ob atræ bilis supe fluitat m. *aquæ inter cutem*, ex liene accidens is enim per longos morbos contrahens duritiem, ad consensum subinde agit iecur, omnique corpori ista ratione aquam inter cutem conciliat. *tal es*, propter frigiditatem, & siccitatem, & temporis inæqualita em, atque adeò, propter humorum prauitatem. *vrinæ*, humorum peruersitate penetrate, & sua infestante acrimonia excretricem faculta em. *intestinorum*, quæ prope finem ipsius autumni fiunt, suntque fere insanabiles. *coxæ dolores*, & coxendi um dolores, ob malignitatem humorum & frigiditatem. *& anginæ*, bile ad faucium musculos delata. *anhelatio*, ob humorum motum ad partes interiores, & frigiditatem. *epileptiæ*, propter repentinā ad cōtraria transmutationem. *insaniæ*, ob biliosorum humorum malignita-

tem. *melancholia*, ob melancholicum humorem.

APHOR. 23 ARGVM.

Morbi quoque hyeme ſuam naturam ſeruante, fieri ſoliti recenſentur.

ΤΟΥ δὲ χειμῶνος, πλευρίτιδες, περιπνευμονίαι, λήθαργοι, κόρυζαι, βράγχοι, βῆχες, πόνοι στηθέων καὶ πλευρέων καὶ ὀσφύος, καὶ κεφαλαλγίαι, ἴλιγγοι, ἀποπληξίαι.

Hyeme pleuritides, peripneumoniæ, lethargi, grauedines, raucitates, tuſſes, pectoris, laterum & lumborum dolores, cephalalgiæ, vertigines, apoplexiæ.

Hyeme, modo ſeruet ſuam naturã. *pleuritides*, fiunt inflammata membrana intrinſecus coſtas & latera ſuccingẽte, ex decubitu pituitoſi humoris & bilioſi præſertim. *peripneumoniæ*, ob intenſum frigus. *grauedines, raucitates, tuſſes*, quorum omnium cauſas ſuperius adduximus. *laterum*, potiſſimum qui in carnoſis coſtarum partibus oriuntur, vel qui ex plurimis cruditatibus cibiſque craſſis ac pituitoſis, crudos humores generantibus fiunt, qui

quum

quum se repente in vacuum thoracis locum aut in ipsum pulmonem recipiunt, imaginationem factæ inflammationis exhibent. *lumborum dolores*, ob frigus & pituitosos humores. *cephalalgia, vertigines, apoplexia*, propter causas supra expositas.

APHOR. 24 ARGVM.

In diuersis ætatibus diuersos fieri morbos.

ΕΝ δὲ τῇσιν ἡλικίῃσι τοιάδε συμβαίνει, τοῖσι μὲν σμικροῖσι καὶ νεογνοῖσι παιδίοισιν ἄφθαι, ἔμετοι, βῆχες, ἀγρυπνίαι, φόβοι, ὀμφαλοῦ φλεγμοναί, ὤτων ὑγρότητες.

Secūdum ætates autem hi morbi fiūt, paruis & nuper natis puerulis oris vlcera, vomitiones, tusses, vigiliæ, pauores, vmbilici inflammationes, aurium humiditates.

Oris *vlcera*, quæ Aphtæ Græcis vocantur, & fiunt ob instrumentorum molliciem, quæ neque tactum, neque lactis sustinent qualitatem, in quo serum est, vim abstergendi naturaliter habēs. *vomitiones*, propter lactis quod

assumunt abundantiam, ventriculum grauãtem. *tusses*: nam pueris facillimè propter cerebri humiditatem ad pulmonem asperámque arteriã defluentem, tussis accidit. *vigiliæ*, propter mala, quibus infestantur, nempe oris vlcera, vomitiones, vmbilici inflammationes, quæ quidem, vtpote dolorem excitantia, vt minus dormiat efficiũt: vel accidũt vigiliæ, quando lac in ventriculo corrumpitur, acrésque humores sursum efferuntur ad caput, cerebrum exsiccantes. *pauores*, propter alimenta in vẽtriculo corrupta, quæ subinde ob vapores ab iis sursũ latos terribilia somnia excitãt. *vmbilici inflammationes*, quod recenter abscissi fuerit, itaque inflãmatio fi sicut in aliis partibus abscissis fieri solet. *aurium humiditates*, ob nimiam totius corporis, & capitis humiditatem.

APHOR. 25 ARGVM.

Quibus morbis corripiantur puerul ad dentienni tempus accedentes.

ΠΡὸς δὲ τὸ ὀδοντοφυεῖν προσάγουσιν, οὔλων ὀδαξισμοὶ, πυρετοὶ, σπασμοὶ, διάρ-

ῥοιαι, καὶ μάλιστα ὅταν ἀνάγωσι τοὺς κυνόδοντας, καὶ τοῖσι παχυτάτοισι τῶν παίδων, καὶ τοῖσι σκληρὰς τὰς κοιλίας ἔχουσι.

Aduentante dentitionis tempore gingiuarum pruritus, febres, conuulsiones, alui profluuia maximè quum caninos edunt, & iis præsertim qui crassissimi sunt, & qui aluo sunt dura.

Aduentante dentitionis tempore, vt septimo mense. *gingiuarum pruritus.* habent quod dentes prodeant, & tanquam stimuli gingiuarum carni infigantur. *febres*, propter dolorem, & gingiuarum inflammationem. *conuulsiones*, tum propter crudum alimentum, & quia neruosæ partes nondum satis validæ sunt. *alui profluuia*, quoniam alimentum non bene coquitur, neque distribuitur. *maximè cum caninos*, canum dentibus exertis similes; quum enim acutiores cæteris sint dentibus, nihil mirum si maiores quandoque febres, & inflammationes excitent. *crassissimi sunt*, nam iis accidunt superiores morbi, & potissimum conuulsiones. *aluo dura*, quia plenitudinem &

seruat & auget.

APHOR. 26 ARGVM.

Quibus morbis prehendatur qui mediam agunt ætatem, inter dentientes, & pubertati proximos.

Πρεσβυτέροισι δὲ γινομένοισι παρίσθμια, σφονδύλου τοῦ κατὰ τὸ ἰνίον ἔσω ὤσιες, ἄσθματα, λιθιάσιες, ἕλμινθες στρογγύλαι, ἀσκαρίδες, ἀκροχορδόνες, σατυριασμοί, στραγγουρίαι, χοιράδες, καὶ τ' ἄλλα φύματα, μάλιστα δὲ τὰ προειρημένα.

Ipsis vero grandiusculis tonsillarum inflammationes, vertebræ in occipitio introrsum luxationes, anhelationes, calculi, lumbrici rotundi, ascarides, verrucæ pensiles, satyriasmi, strauguriæ, strumæ, & alia tubercula, præcipue vero antedicta.

Grandiusculis *tonsillarum*, quæ sunt secundum oris gulæque interstitium. *luxationes*, ad intra inclinationes: ab iis enim partibus contrahuntur nerui, à quibus & ligamenta, & tandem vertebræ. *anhelationes*, oppletis respirationis instrumentis, ab his quæ desuper

sunt

fiunt fluxionibus. *calculi,* ob eorum edacitatem: humores enim multos & crudos coaceruant, quorum crassior pars vna cum vrina in vesicā descendens, lapidis materia fit, eóque magis quo caliditas accedit, quæ satis vehemens est. *lumbrici rotundi,* & lōgi. *ascarides,* tenues quidam lumbrici, qui in parte maximè inferiore crassi intestini, & circa anum, visuntur, omnes à putredine ortum habentes. *verrucæ pensiles,* quas Græci Acrochordonas vocant, quæ mali humoris multitudine generantur, quæ potentia robusta existente, ad superficiem reiicitur. *strumæ,* prominentes iuxta aures glandularum tumores, in collo, alis & inguinibus fieri solitæ. *stranguriæ,* ob pituitosam materiam, quæ generatur hac in ætate ob ingluuiem. *alia tubercula,* tumores alii præter naturam in hac ætate degentibus accidunt. *ante dicta,* verrucæ nimirum pensiles, satyriasmi, strumæ & stranguriæ.

APHOR. 27 ARGVM.

Quibus morbis corripiantur ad pu-

bertatem accedentes.

ΤΟῖσι δὲ ἔτι πρεσβυτέροισι καὶ πρὸς τὴν ἥβην προσάγουσι, τουτέων τε τὰ πολλὰ, καὶ πυρετοὶ χρόνιοι μᾶλλον, καὶ ἐκ ῥινῶν αἵματος ῥύσιες.

Grandioribus autem & ad pubertatem accedentibus superiorum etiam morborum multi, & febres diuturniores potius, & ex naribus sanguinis fluxiones.

Grandioribus ad pubertatem, annũ nimirum agentibus 12. 13. aut 14. *morborum multi*; quales sunt lumbrici, & lapides. *febres diuturniores potius*, quã prioribus, tunc enim materia multo maior existit, & vires paulo quam antea robustiores. *ex naribus sanguinis fluxiones*, accidunt in tali ætate consti tutis, nam hic humor in ea incipit superabundare, quod minus de eo absumatur quàm in præcedenti ætate.

APHOR. 28 ARGVM.

Qua ratione puerorum morbi iudicentur.

ΤΑ δὲ πλεῖστα τοῖσι παιδίοισι πάθεα κρίνεται, τὰ μὲν ἐν τεσσαράκοντα ἡμέρῃσι,

τὰ δὲ ἐν ἑπτὰ μησὶ, τὰ δὲ ἐν ἑπτὰ ἔτεσι, τὰ δὲ πρὸς τὴν ἥβην προσάγουσιν. ὅσα δ᾽ ἂν διαμείνῃ τοῖσι παιδίοισι καὶ μὴ ἀπολυθῇ περὶ τὸ ἡβάσκειν, ἢ τῇσι θήλεσι περὶ τὰς τῶν καταμηνίων ῥήξιας, χρονίζειν εἴωθεν.

Pueris maxima ex parte, morbi iudicantur, alij intra dies quadraginta, nonnulli intra septem menses, quidam intra annos septem, alij ipsis etiam ad pubertatem accedentibus. Qui vero permanserint, neque pueris circa pubertatem, neque fœminis quum menstrua erumpunt soluti fuerint, inueterascere consueuerunt.

Morbi, passiones, nimirum diuturnæ. *pueris*, nēpe his qui in tribus prædictis ætatibus constituti sunt. *iudicantur*, & terminantur. *intra quadraginta dies*, quadragesimus nanque dies diuturnorum primus est decretorius, & finis acutorum ex mutatione seu degeneratione. *intra septem menses*, vt quartana febris & crebri anhelitus. *intra annos septem*, vt est morbus comitialis. *alij ipsis etiam ad pubertatem*, vt est morbus prædictus comitialis, qui

in multis pubertatis tempore iudicatur,& in mulieribus cum menstrua erumpunt,quo tēpore humoribus malignis repurgatis muliebres morbi finiuntur.*inueterascere consueuerūt*,longo tempore perdurare: quod enim natura facere nō potuit,neque ars faciet, etsi præsidiis vtatur.

APHOR. 29 ARGVM.

Iuuenum morbi recensentur.

Τοῖσι δὲ νεηνίσκοισιν, αἵματος πτύσιες, φθίσιες, πυρετοὶ ὀξέες, ἐπιληψίαι, καὶ τ' ἄλλα νουσήματα, μάλιστα δὲ τὰ προειρημένα.

Adolescētibus sanguinis expuitiones, tabes, febres acutæ, epilepsiæ, aliique morbi, sed præcipuè nunc dicti.

Adolescētibus sanguinis expuitiones, ob inordinatam victus rationem, aut propter vasorum fractionem aut erosionem flaua bilis redundātis in ipsis. *tabes*, propter sanguinis expuitionem. *febres acutæ*, ob putrefactionem bilis in ipsis redundantis. *epilepsiæ*, ex praua victus ratione,& per consensum ā bi-

flaua os ventriculi infestante, atque adeo propter iuuenum temperaturam quæ planè biliosa est. *alii que morbi*, præter iam dictos, vt sunt quicunque à flaua bile nascuntur, vt phrenitis, ardens febris, cholera, & intestinorum difficultas. *præcipuè nunc dicti*, morbi accidunt in hac ætate.

APHOR. 30 ARGVM.

Morbi mediæ ætatis & constantis exprimuntur.

TOῖσι δὲ ὑπὲρ τὴν ἡλικίην ταύτην ἄσθματα, πλευρίτιδες, περιπνευμονίαι, λήθαργοι, φρενίτιδες, καῦσοι, διάῤῥοιαι χρόνιαι, χολέραι, δυσεντερίαι, λειεντερίαι, αἱμοῤῥοΐδες.

Vltra hanc ætatem prouectis asthmata, pleuritides, peripneumoniæ, lethargi, phrenitides, ardentes febres, diuturna alui profluuia, choleræ, dysenteriæ, lieteriæ, hæmorrhoides.

Vltra hanc ætatem, iuuenilem. *asthmata*, superueniunt, his qui inter iuuentutem & senectutem constituti sunt, idque non ætatis ratione, sed quia in

victus ratione perinde atque iuuenes peccant. *pleuritides*, ob praedictas causas. *lethargi*, os pituitã in cerebro coaceruatam, cuius benefic o non dormiunt solum, sed omnium obliuiscuntur. *phrenitides*, ob bilem flauã in praecedenti ætate generatam, necdum plane extinctam & expulsam. *ardenter febres*, siue ardores. *cholera*, ob causam supra dictam. *dysenteriæ*, ob causas superius adductas. *hæmorrhoides*, ima eria deorsum delata per venas à natura destinatas.

APHOR. 31 ARGVM.

Morbi in vltima ætate, quæ senectus dicitur, accidentes exprimuntur.

Τοῖσι δὲ πρεσβύτῃσι, δύσπνοιαι, κατάρροι βηχώδεες, στραγγουρίαι, δυσουρίαι, ἄρθρων πόνοι, νεφρίτιδες, ἴλιγγοι, ἀποπληξίαι, καχεξίαι, ξυσμοὶ τοῦ σώματος ὅλου, ἀγρυπνίαι, κοιλίης καὶ ὀφθαλμῶν, καὶ ῥινῶν ὑγρότητες, ἀμβλυωπίαι, γλαυκώσιες, βαρυηκοΐαι.

Senibus spirandi difficultates, destillationes cum tussi, stranguriæ, dysuriæ, articulorum

ticulorum dolores, nephritides, vertigines, apoplexiæ, malus corporis habitus cachexia Græcis dictus, pruritus totius corporis, vigiliæ, alui, oculorum & narium humiditates, visus obtusior, glaucomata, auditus hebetior.

Senibus *spiradi difficultates*, propter humoris pituitosi in thoracem & pulmonis bronchia, delationem. *destillationes cum tussi*, tussimq; afferentes, ob causam supra dictam. *stranguriæ*, ob expultricis aut retentricis vesicæ facultatis imbecillitatem, quæ frigidã eius intemperaturam consequitur, vt supra dictum est. *dysuriæ*, ob pituitæ copiam, meatum vesicæ obstruentis. *articulorum dolores*, aut ex superfluitatibus ad hæc loca cõfluentibus, vel ob difficilem motũ, cuius beneficio partes neruosæ sæpius frigidæ fiunt. *nephritides*, ob humorem viscidum & glutinosum, obstructiones parientẽ. *vertigines*, propter vaporosum spiritũ, qui in partibus cerebri inordinato cietur motu. *apoplexiæ*, his enim senes corripiuntur, vltima præsertim hiemis

parte, quæ ad veris naturam nonnihil accedit, quòd tum à calore qui incipit crescere, pituita in cerebro diffũdatur, adeò vt quæ hactenus exiguum locũ occupauit, nunc propter fusionem, omnes cerebri ventriculos oppleat ac obstruat. *malus habitus*, propter alimentum quod non concoquitur, ob alteratricis facultatis imbecillitatem, sed corrumpitur, crudúmque in totũ distribuitur corpus. *pruritus totius corporis*, ob salsæ pituitæ, ad corporis superficiem delatæ, redundantiam, pluresque superfluitates pruritum excitantes, qui difficilem habent per cutẽ euacuationem. *vigiliæ*, tum quia senectus plena curarum est, tum quia siccũ corpus habent, tantóque magis vigilant, quanto magis sani sunt. *alui, oculorum & narium humiditates*, ob cerebri superfluitates, quæ quum descendunt, & ad aluum perueniunt, excrementa mollia reddunt, oculos & nares humectant. *visus obtusior*, propter sensitiuæ potentiæ obtusionem. *glaucomata*, ob immodicam instrumento-

rum siccitatem, & quia speciem quandam suffusionis habe it. *auditus hebetior*, ob potentiæ sensitiuæ imbecillitatem.



APHORISMORVM HIPPOCR.

LIBER. IIII.

ARGVMENTVM.

Quartus hic liber varius est, fere tamen ad vacuationem & prognostica reducitur.

APHORIS. PRI. ARGVM.

Quibus in morbis, quóue tempore, vtero gerentes sunt purgantibus medicamentis euacuanda.

Τὰς κυούσας φαρμακεύειν ἢν ὀργᾷ, τετράμηνα καὶ ἄχει ἑπτὰ μηνῶν, ἧσσον δὲ ταύτας. τὰ δὲ νήπια, καὶ πρεσβύτερα εὐλαβέεσθαι χρή.

Prægnantes purgabis, si materia vrgeat, quadrimestres, & vsque ad septimum mensem sed has parcius. Minore vero aut grandiore conceptu, abstinebis.

Prægnantes, mulieres sunt medicandæ medicamento aliquo verè purgãte, vt per vomitum, aut ventris deiectionem. *si materia vrgeat*, & ab vna parte in aliã moueatur, ne in hoc motu plane inordinato in aliquam principem partem, aut vterum ipsum decumbat, fœtuique noxam inferat. *quadrimestres*, nimirum quæ quartum im pregnationis mensem attigerunt. *& vsque ad septimum*, vt quinto & sexto mensibus, quo tempore ligamẽta, quibus vtero fœtus connectitur, robu stiora sunt, nec adeò facilè medicamẽti purgantis commotione rumpũtur. *sed has*, mulieres grauidas, quæ ad septimum vsque mensem peruenerunt, aut sexti finem attigerunt. *parcius*, purgare conuenit, quàm illas, quæ quartum, quintum, sextum menses attigerunt: septimus enim mensis partui & proximus & destinatus est. *Minore*, iuniores

niores grauidas, quæ nimirum quartum mensem nondum attigerunt, cauere oportet, quòd primis tribus mensibus retinacula & ligamenta fœtus parum robusta sint, & fœtus ipse in vtero nondum satis firmatus. *grandiore*, seniores grauidas, quæ vltra sextum mensem, aut septimi init a, progressæ sunt. *abstinetis*, nam vltimis mensibus qui partui sunt proximi, aut partui destinati, fœtus grauior ac ponderosior existit, quàm vt citra ligamentorum ruptionem tutò grauidis exhibeamus purgationem.

APHOR. 2 ARGVM.

Qualis humor per purgantia medicamenta vacuandus.

Ἐν τῇσι φαρμακείῃσι τοιαῦτα ἄγειν ἐκ τοῦ σώματος ὁκοῖα καὶ αὐτόματα ἰόντα χρήσιμα. τὰ δὲ ἐναντίως ἰόντα παύειν.

Purgantium medicamentorum *vsu talia è corpore educenda, qualia spontè etiam prodeuntia, iuuant: Contrario vero modo exeuntia, sistenda.*

Medicamentorum *vsu*, medicamen-

to exhibito.*talia educenda qualia sponte*, citráque medici operam, vacua entur vtiliter ab ipsa natura, iuuant. *contrario vero modo exeuntia*, in medicamentorum purgantium vsu, vbi talia vacuantur, qualia natura ipsa non vtiliter educeret. *sistenda*, cohibere oportet si prodeunt, si non prodeunt, haud prouocare sed sinere.

APH. 3. ARGVM.

Spontinæ & artificio factæ euacuationis signum datur.

Ἢν μὲν οἷα δεῖ καθαίρεσθαι καθαίρωνται, ξυμφέρει τε καὶ εὐφόρως φέρουσι, τὰ δὲ ἐναντία, δυσχερῶς.

Si qualia oportet purgentur, confert, & facilè ferunt: Contrà verò si fiat, grauiter.

Si qualia, Hic aphorismus semel atque iterum repetitus primo Aphorismorum libro, hic rursum ob eius perfectiorem intellectionem exprimitur.

APH. 4 ARGVM.

Purgandum æstate per superiora hye-

me per inferiora.

ΦΑρμακεύειν θέρεος μὲν μᾶλλον τὰς ἄνω· χειμῶνος δὲ, τὰς κάτω. Superiores ventres.

Aestate superiorem potius, hyeme inferiorem purgare conuenit.

Æstate, temperaturam suam obseruante. *superiorem*, ventrem ipsumque ventriculū. *potius*, vbi vniuersum purgare quis voluerit. *hyeme*, temperaturam suam similiter retinente. *inferiorem*, cauitatem, vt intestina. *purgare conuenit*: nam in hac pituita, quæ ob sui grauitatem facilè deorsum deturbatur: in illa bilis, quæ ob sui tenuitatem & leuitatem sursum fertur, abundat.

APH. 5 ARGVM.

Obseruanda diligenter medico anni tempora, quæ ortu & occasu siderum distinguuntur, Caniculæ exemplo.

ΥΠὸ κύνα καὶ πρὸ κυνὸς, δυσεργώδεες αἱ φαρμακεῖαι.

Sub Canicula & ante Caniculā difficiles sunt purgationes.

Canicula, quin ea ipsa iam orta.6. Calend. August. *& ante*, illa exorien-te 17.calend. August. *difficiles sunt purgationes*. earúmq; vsus molestus, quòd tum æstus sit maximus, & facultas ipsa corporis imbecilla, quæ promptè admodum à purgante medicamento, natura calido, dissoluitur: adde medicamenti purgantis & aeris ambientis actiones, sibi inuicem pugnare, quippe illud ab externis ad interiora, hic vero ab internis ad exteriora trahit, periculum ob id ne ambobus inter se repugnātibus natura distrahatur & prorsus dissipetur.

APH. 6 ARGVM.

Qua ratione graciles & macilenti ad vomendum faciles sint repurgandi.

Τοὺς ἰσχνοὺς καὶ εὐημέας ἄνω φαρμακεύειν, ὑποστελλομένους χειμῶνα.

fors. reformidantes hiemem.

Graciles & ad vomendum faciles per superna purgare, nisi hyems adsit.

Graciles, natura non vi morbi, calidi sicci, atque adeo biliosi. *per superna purgare*, per vomitum: graciles enim natura

natura biliosos ad superiores purgationes magis aptos esse constat. *nisi hyems*, in ea namque per inferiora potius purgãdum erit, propter rationes superius adductas.

APH. 7 ARGVM.

Difficiles ad vomendum & mediocriter carnosi per inferiora repurgandi.

Τοὺς δὲ δυσημέας, καὶ μετρίως εὐσάρκους κάτω, ὑποστελλομένους θέρους.

Aegrè *vomentes & modicè carnosos, quos eusarcos appellant Graeci, infernè purgato, deuitans aestatem.*

Aegrè & modicè carnosos, non valde crassos & pingues. *infernè purgato*, hos enim, quum pituitosi sint, ad inferiores purgationes esse magis idoneos certum est. *deuitans aestatem*, quòd hoc tempus per superiora purgationẽ magis requirat.

APH. 8 ARGVM.

Tabidi per superiora non purgandi.

Τοὺς δὲ φθινώδεας, ὑποστελλομένους τὰς ἄνω.

Obnoxios phthisi suprà ne purgato.

Obnoxios phthisi, eósq; maximè qui ob pulmonis exulcerationem, maciē corporis & phtisim contrahunt, aut ad eam proni sunt. *ne purgato*, quod pulmonis vlcera propter commotionem illam quam vomitus excitat, mirificè augeantur & irritentur, quódque instrumenta respirationi inseruientia, in tabidis sint imbecilla.

APH. 9 ARGVM.

Qua ratione melancholici repurgandi.

Τοὺς δὲ μελαγχολικοὺς ἁδροτέρως τὰς κάτω, τῷ αὐτῷ λογισμῷ τ' ἀναντία προστιθέντες.

Melancholicos infrà vehemētius purgabis, eadem ratione contrariam iniens vacuandi viam.

Melancholicos, natura, aut ex longa consuetudine tales factos. *infra vehementius purgabis*, melancholicus enim humor suapte natura piger, terreus & crassus quum sit, vehementiora cæteris requirit purgatoria medicamenta.

eadem

eadem ratione cõtrariam. materia enim leuis sursúmq; vergẽs per superiores, grauis verò & deorsum vergens, per inferiores partes educi debet.

APH. 10 ARGVM.

In peracutis, vbi turget materia, eadẽ die purgandum.

Φαρμακεύειν ἐν τοῖσι λίην ὀξέσιν, ἢν ὀργᾷ, αὐθημερὸν, χρονίζειν γὰρ ἐν τοῖσι τοιούτοισι κακόν.

Purgandum in valde acutis, si ad sui excretionem inuitet materia, eodem ipso die. differre enim in talibus malum.

Purgandum, vehementi medicamẽto vtendum. *in valde acutis*, & peracutis morbis, qui in quarto aut septimo iudicantur die. *inuitet materia*, & huc atque illuc concitetur & moueatur errans. *eadem die*, & statim in principio, non expectantes secundum aut tertiũ diem. *differre enim*, timendum enim est ne robur corporis dissoluatur, aut caliditas febris augeatur, aut qui per corpus agitantur humores, ad aliquod principale membrum decumbant, &

repentinam mortem inducant.

APH. II ARGVM.

Certis signis edocetur quando futura sit timpanites.

ΟΚόσοισι στρόφοι καὶ περὶ τὸν ὀμφαλὸν πόνοι, καὶ ὀσφύος ἄλγημα μὴ λυόμενον μήτε ὑπὸ φαρμακείης μήτ᾽ ἄλλως, εἰς ὕδρωπα ξηρὸν ἱδρύεται.

Quibus tormina adsunt & circa vmbilicum cruciatus, & lumborum dolor, qui neque medicamento, neque aliter soluatur, in siccum hydropa firmatur.

Quibus tormina, & intestinorum dolores. *& circa vmbilicum*, qui accidūt ob flatuū copiam prædictas partes distendentium, atque adeo vnitatē soluentium. *neque medicamento*, frigidos humores ac flatulentos spiritus educente. *soluatur*, vt per clysteres, fomenta, inunctiones discutientes. *in siccum hydropa firmatur*, quam timpanitem vocant: quum enim non soluitur dolor, signum est in illis partibus esse intemperiem, à flatibus potissimum genitam,

nitam, quæ nullis præsidiis potest amoueri.

APH. 12 ARGVM.

Qui lienteria laborant hyeme non sunt purgandi per vomitum.

Ὁκόσοισι κοιλίαι λειεντερειώδεες, χειμῶνος φαρμακεύειν ἄνω, κακόν.

Quibus propter læuitatem ventres cibi sunt incontinentes, hyeme suprà purgare malum.

Quibus ventres, infestantur, siue à pituita arida, siue ab humore aeri tenuiquê & bilioso, leuitas ea fiat intestinorum. *hyeme supra*, per vomitũ purgare purgatione vniuersali. *malum*, tũ enim humores in corpore vniuerso abundantes, sunt pituitosi, ideóque ad inferiora magis repunt, quàm ad superiora.

APH. 13 ARGVM.

Difficulter vomentes non vacuandi per veratrum, nisi eorum corpora prius cibo pleniore & quiete præparentur.

Πρὸς τοὺς ἐλλεβόρους τοῖσι μὴ ῥηϊδίως ἄνω καθαιρομένοισι, πρὸ τῆς πόσιος προ-

ϑεραίνειν τὰ σώματα πλείονι τροφῇ, καὶ ἀνα-παύσει.

Qui ad veratrum non facilè suprà purgantur, eorum corpora ante potionem copiosiore alimento & quiete præhumectanda.

Qui *ad veratrum*, elleboriq; sumptionem. *suprà*, per vomitum. *purgantur*, vt sunt hi quibus thorax est angustus & depressus. *ante potionem*, ellebori. *copiosiore alimento*, non in quantitate quidem, sed qualitate. *quiete*, corporis humiditatem seruante. *præhumectāda*, nisi enim cibo vberiore & quiete præhumectentur nerui, ligamenta, aliæque partes corporis sicciores, conuulsionem veratrum calidum, siccum, & maxima trahēdi facultate præditum, excitabit, partibus eiusmodi innanitis & exsiccatis.

APH. 14 ARGVM.

Quid ab ellebori sumptione agendum.

Ἐπὴν πίνῃ τις ἐλλέβορον, πρὸς μὲν τοὺς κινήσιας τῶν σωμάτων μᾶλλον ἄγειν, πρὸς δὲ τοὺς ὕπνοις καὶ μὴ κινήσιας ἧσσον. δηλοῖ δὲ καὶ

καὶ ἡ ναυτιλίη ὅτι κίνησις τὰ σώματα ταράσσει.

Poto elleboro, corpus mouendum potius, quàm somno tradendum aut quieti. Nam vel nauigatio indicat motione turbari corpora.

Poto elleboro, aut quouis alio medicamento vehementer purgante. *mouendum potius*, nam per motum humores agitantur, attrahuntur, funduntur, medicamenti actio iuuatur, ac facultas expultrix suscitatur. *quàm somno*, quòd hac ratione actio medicamenti frangatur & impediatur: per somnum enim & quietem naturales facultates magis agunt, ac purgans medicamentum plerunque concoquunt. *nauigatio indicat*, quæ motus quidem est. *motione turbari corpora*, adeo vt vomitum excitet motio ipsa.

APH. 15 ARGVM.

Idem quod antea, & simul qua ratione immodicam purgationem sistere oporteat, docet.

Ἐπὴν βούλῃ μᾶλλον ἄγειν τὸν ἐλλέβορον, κίνει τὸ σῶμα. ἐπὴν δὲ παῦσαι, ὕπνον ποίει

καὶ μὴ κίνει.

Quum elleborum citare voles, moue corpus: quum verò sistere, somnum concilia, nec moue.

Elleborum citare, efficaciúsq; vacuare, aut per elleborum aut per aliud quoduis medicamentũ purgans. *moue corpus*, vt humores agitentur, ac facultas expultrix quasi suscitetur. *quum verò sistere*, & sedare immodicam purgationem volueris. *somnum concilia*, somnus siquidem animalium & vitalium facultatum quietem adfert, easdem roborat, quæ subinde robustiores factæ, assumptum medicamentũ, attractósque ab eo humores, concoquunt.

APH. 16 ARGVM.

Veratrum iis periculosum qui corpore sunt commoderato & sano.

Ἐλλέβορος ἐπικινδυνος τοῖσι τὰς σάρκας ὑγιέας ἔχουσι, σπασμὸν γὰρ ἐμποιέει.

Elleborus periculosus sanas carnes habentibus. Conuulsionem enim ingenerat.

Elleborus periculosus, ac difficilis. *car-*

nes sanas habentibus, & integra sanitate præditis: *conuulsionem ingenerat*, ex inanitione, nam nihil excrementorũ in corpore inueniẽs, partes solidas sanas, neruos potissimũ, depascitur, humiditates absumit & exsiccat.

APH. 17 ARGVM.

Quibus notis ad superiora motio digno scatur naturæ.

Ἀπυρέτῳ ἐόντι ἀποσιτίη, καὶ καρδιωγμὸς, καὶ σκοτόδινος, καὶ στόμα ἐκπικρούμενον, ἄνω φαρμακείης δεῖσθαι σημαίνει.

Non *febricitanti cibi fastidium, cordis dolor, vertigo tenebricosa, & oris amaritudo purgatione per superna opus esse significant.*

Non *febricitanti cibi fastidium*, ob appetentiam deiectam. *cordis dolor*, oris ventriculi, à flaua bile eius os infestãte. *Vertigo tenebricosa*, facta per cõsensum, sursum delatis vaporibus à ventriculo affecto. *oris amaritudo*, præ se ferens bilis in toto corpore redundantiam: *opus esse significant*, indigere purgatione eos quibus hæc simptomata

eueniunt, à flaua bile in ventriculo supernatante, & suapte natura superiora petente.

APH. 18 ARGVM.

Dolores supra septum transuersum, per superiora, infra verò per inferiora, purgatione egere.

ΤΆ ὑπὲρ τῶν φρενῶν ὀδυνήματα, ὁκόσα καθάρσεως δέονται, ἄνω φαρμακεύεσθαι σημαίνει. ὁκόσα δὲ κάτω, κάτω.

Supra septũ transuersum dolores, quicunque eget purgatione, per superna purgandum esse significant: Qui verò infra sunt, per inferna.

Supra septũ transuersum dolores, purgatione indigentes. *purgandum esse significant*, nam quò natura maximè repit, eò ducere per loca conferentia, noxios humores oportet.

APH. 19 ARGVM.

Ipsam sitim signum esse peractæ purgationis.

ΟΚόσοι ἐν τῇσι φαρμακοποσίῃσι μὴ διψῶσι, καθαιρόμενοι οὐ παύονται πρὶν

ἤ

ἢ διψήσωσιν.

Qui potione medica dum purgantur non sitiunt, ipsorum purgandi finis non fit donec sitiuerint.

Non sitiunt, neque os ventriculi exsiccari sentiunt vacuatis excrementis. *purgandi finis non fit*, excernere aut vacuari non desinunt. *donec sitiuerint*, nondum enim medicamentum vniuersam actionem suam tum exeruit: sed reliqui sunt adhuc aliqui humores, quos vacuare opottet donec ex vacuatione siccitas oriatur, quæ sitim, indigentiam humiditatis nuntiãtem, excitare potest.

APH. 20 ARGVM.

Notæ infrà purgandum denotantes.

Ἀπυρέτοισιν ἐοῦσιν ἢν γίνηται στρόφος, καὶ γουνάτων βάρος, καὶ ὀσφύος ἄλγημα, κάτω φαρμακείης δεῖσθαι σημαίνει.

Si citra febrem tormina adsint, & genuum grauitas, & dolor lumborum, inferna purgatione opus esse significant.

Si citra febrem tormina, & cruciatus iuxta vmbilicum, torquentes intesti-

na, qui vtplurimum à materia crassa, pituitosa & flatulenta generantur. *&* *genuum grauitas*, ab humorum noxiorum decubitu facta. *&* *dolor lumborũ*, dorsi partem circa renes infestans. *inferna purgatione*, hæc enim symptomata omnia humoris noxii motum, ratione cuius euacuationes moliri oportet, ad inferiora fieri denotant.

APH. 21 ARGVM.

Egestiones nigras sponte prouenientes, semper esse pessimas.

Υποχωρήματα μέλαινα, ὁκοῖον αἷμα μέλαν, ἀπ' αὐτομάτου ἰόντα καὶ ξὺν πυρετῷ καὶ ἄνευ πυρετοῦ, κάκιστα. καὶ ὁκόσῳ ἂν τὰ χρώματα τῶν ὑποχωρημάτων πλείω πονηρότερα ᾖ, μᾶλλον κάκιον. ξὺν φαρμάκῳ δὲ, ἄμεινον. καὶ ὁκόσῳ ἂν πλείω χρώματα, οὐ πονηρά.

Excrementa alui nigra sanguini atro similia, sponte euntia siue cum febre siue citra febrem, pessima: & quanto ipsorũ colores peiores fuerint plures, eo deteriora. A medicamento autem talia exigi, melius est, idque quanto ipsorum plures fuerint

fuerint colores.

Sanguini atro similia, nempe qui diu extra vasa moratus est,& per intestina defertur. *sponte euntia*, per vniuersum corpus, sine medicamento quod purgādi potestatem habeat. *pessima*, quod semper à causa mala, vel frigida, vel calida proficiscantur: calor enim in iecore sanguinem adurit, frigus calorē natiuum extinguit, quo fit vt sanguis subinde nigrescat. *& quanto ipsorum colores*, excrementorum & deiectionū. *eo deteriora*, quippe multorum prauorum in corpore affectuum sunt signa. *A medicamento autem*, si tales egeruntur humores. *plures fuerint colores*, excrementorū à medicamento euacuatorum. *melius est*, quòd naturā ipsam humores vitiosos debellasse ac superasse significant.

APH. 22 ARGVM.

Atræ bilis excretionem in morborum quorumlibet initys, semper malam esse.

Νοσημάτων ὁκόσων ἀρχομένων ἢν χολὴ μέλαινα ἢ ἄνω ἢ κάτω ἐπέλθῃ, θα-

νάσμον.

Morbis quibusuis incipientibus si atra bilis suprà infràue exierit, perniciosum.

Morbis quibusuis incipientibus, & à qualibet materià factis, idque in principio vniuersali, in quo nulla adhuc apparet coctio. *si atra bilis*, ex melancholico humore putrefacto, aut flaua bile immodicè exusta, progenita. *suprà*, vt per vomitum, nares, sputum. *infrà*, vt per secessum & vrinam. *perniciosum*: significat enim naturam malè affectã esse, vtpote quam constat nũquam euacuare superflua, nisi concocta fuerint: si ergo sursum feratur, radit & exulcerat ventriculum ac gulã, & in consensum cerebrum aliásq; corporis partes rapit: si deorsum impetũ fecerit, abradit intestina, & exedit dysenteriásque lætales efficit.

APH. 23 ARGVM.

Morti proximos quibus post morbos acutos, aut diuturnos, atra bilis & melancholicus humor excernitur.

Ὁκόσοισιν

Ὁκόσοισιν ἐκ νουσημάτων ὀξέων, ἢ ἐκ πολυχρονίων, ἢ ἐκ τρωμάτων ἢ ἄλλως πως λεπτυνομένοις χολὴ μέλαινα, ἢ ὁκοῖον αἷμα μέλαν ὑπέλθῃ, τῇ ὑστεραίῃ ἀποθνήσκουσι.

Quibus per morbos acutos, aut diuturnos, aut vulnera, aut alium modum extenuatis atra bilis, aut velut sanguis niger subierit, postridie moriuntur.

Vulnera, quæ adeò ingentem sanguinis copiam effuderint, vt vires debiles effectæ sint. *extenuatis*, & debilitatis. *atra bilis*, vtpote non naturalis. *sanguis niger*, hoc est naturalis atra bilis. *subierit*, vel per superiora vel per inferiora. *postridie moriuntur*, propter nimirum morbi magnitudinem & imbecillam facultatem.

APH. 24 ARGVM.

Dysenteriam ab atra bile factam, lætalem.

Δυσεντερίη ἢν ἀπὸ χολῆς μελαίνης ἄρξηται, θανάσιμον.

Dysenteria si ab atra bile incipiat, exitiosa.

Dysenteria, exulceratio inteſtinorũ, in qua paulatim & breuibus interuallis deiectio fieri ſolet. *ſi atra bile*, ex bilis aduſtione facta. *exitioſa*, quòd à cancro vlcerato nihil differat. Accedit ꝙ medicamenta ipſa inteſtinis, vt externis partibus, imponi non queant, neque illis tantiſper donec facultatem ſuam exerant, adhærere: Adde inteſtina ipſa malè affecta, ab alimẽti excrementis ſemper irritari.

APH. 25 ARGVN.

Quibus ſanguis per os emittitur malũ, quibus per inferiora bonum.

Αἷμα ἄνω μὲν, ὁκοῖον ἂν ᾖ, κακόν. κάτω δὲ, ἀγαθὸν, μέλαν ὑποχωρέον.

Sanguinem ſupernè quidem efferri, qualiſcunque ſit, malum: Infernè vero niger ſi deijciatur, bonum.

Sanguinem ſupernè, vtpote per os emiſſum. *qualiſcunque ſit*, ſiue ſpumoſus, ſiue rubicundus, ſiue flauus, ſiue niger. *malum*, malum aliquod portendit: quippe aut apertionem, aut exeſionem, aut rupturam alicuius vaſis,

in superioribus partibus cõsistentis, significat, idque in viris maximè. *inferne* vero, sanguis emissus: nimirum per hæmorrhoides. *bonum*, quia per hæmorrhoidum profluuium, melancholicus humor, quẽ hominis natura coaceruauit, vacuatur.

APHOR. 26 ARGVM.

Carunculas in dysenteria excretas latale esse signum.

Ἢν ὑπὸ δυσεντερίης ἐχομένῳ ὁκοῖαι αἱ σάρκες ὑποχωρήσωσι, θανάσιμον.

Si dysenteria laboranti veluti carunculæ deyciantur, mortiferum.

Si dysenteria laboranti, cuiuscunque generis illa sit. *carunculæ*, & ramenta intestinorum adeò magna vt carnis effigiem præ se ferant. *deyciantur*, & excernantur. *mortiferum*, tanta enim tum visitur exulceratio, vt neque caro coalescere, neque cicatrix obduci possit.

APH. 27 ARGVM.

Interdũ aluos humectari, post sanguinis copiosi per febres aliósque morbos eruptionem.

Ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσι αἱμοῤῥαγέει πλῆθος ὁκοθενοῦν, ἐν τῇσιν ἀναλήψεσι τουτέοισιν αἱ κοιλίαι καθυγραίνονται.

Quibus per febres sanguinis vndecunque eruperit copia, conualescentibus ventres humectantur.

Quibus per febres, aliósque morbos. *vndecunque*, siue id è naribus, siue per vterum, siue hemorrhoides fiat. *conualescentibus*, quum post morbum iam reficiuntur. *ventres humectantur*, propter alimenta quæ minus benè cocta in ventre morantur, neque in corpus distribuuntur.

APH. 28 ARGVM.

Surditatem fieri ob retentas biliosas deiectiones, & vicißim solui vbi illæ superuenerint.

Ὁκόσοισι χολώδεα τὰ διαχωρήματα, κωφώσιος γινομένης παύεται, καὶ ὁκόσοισι κώφωσις, χολωδέων γινομένων παύεται.

Quibus deiectiones sunt biliosæ, superueniente surditate cessant: & contrà quibus surditas adest, biliosorum deie-

ctione

ctione finitur.

Deiectiones *biliosæ*, facilè mobiles. *superueniente surditate*, nõ stabili ex recursu bilis ad cerebrum facto: *cessant*, & desinunt. *& contrà*, materia è superius ad inferiora translata. *finitur*, scilicet surditas: vt aliàs, profluuium sanguinis è naribus, difficultate intestinorum, coxendicum vel genum dolore.

APHOR. 29 ARGVM.

Rigorem sexto die in febribus ortum, damnat.

Ὁκόσοισι ἐν τῇσι πυρετοῖσιν ἑκταίοισιν ἐοῦσι ῥίγεα γίνεται, δύσκριτα.

Febricitãtibus si sexto die rigores fiãt, iudicationem habent difficilem.

Febricitantibus, & in his quidẽ continuè. *si sexto die*, qui iudicatorius non est. *rigores fiant*, & totius corporis inæqualis concussio & quassatio, materia nimirum extra venas expulsa. *diff. cilè.* malè iudicatur de ægrotis, nã vel moriuntur, vel ægritudo longa efficitur, vel recidunt, aut simile aliquid patiuntur.

APH. 30 ARGVM.

Quæ febres futuræ sint longæ aut breues, ex quo accessio ipsa inuadit.

Ὁκόσοισι παροξυσμοὶ γίνονται, ἣν ἂν ὥρην ἀφῇ ὁ πυρετὸς, ἐς τὴν αὔριον τὴν αὐτὴν ὥρην ἢν λάβῃ, δύσκριτα.

Quibus accessiones fiunt, quacunque hora febris dimiserit, eadem si postero die repetat, iudicatu difficilis esse solet.

Quibus accessiones, febrium interpollentium. *hora*, obseruata scilicet. *iudicatu difficilis*, ob causam quæ accessionem facit fixam, firmatam & stabilem: nam quæ firmata sunt ægrè soluũtur, & validiore commotione iis opus est.

APHOR. 31 ARGVM.

Quibus in febribus abscessus fieri soleant.

Τοῖσι κοπιώδεσιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν, ἐς ἄρθρα καὶ παρὰ τὰς γνάθους μάλιστα αἱ ἀποστάσιες γίνονται.

Qui per febres lassitudinem sentiunt, ijs ad articulos, & iuxta maxillas potissimùm

simum abscessus fiunt.

Lassitudinem sentiunt, siue ea ab externo aliquo atq; adeò manifesto motu, quem quis sustinuit febris initio, siue sponte & citra laborem acciderit. *ad articulos*, & totius corporis iuncturas. *abscessus fiunt*, in spontanea quidẽ lassitudine, latiora articulorum spatia promptè in se vitiosorum humorum redundantiam suscipiunt: in non spõtanea, motu excalefacti articuli, corporis excrementa attrahũt. *abscessus fiũt*, propter nimium calorem febrilem, qui multitudinem humorum secum sursum defert: deinde propter materiam, quæ magna ex parte tenuis est adeò, vt & vi caloris, suaque sponte promptè superiora petat: adde quod buccæ & malæ sint admodum imbecilles, nequeántque ad alias corporis partes excrementa ipsa propellere.

APHOR. 32 ARGVM.

Quid futurum sit è morbo conualescentibus, vbi aliqua parte laborauerint.

Ὁκόσοισι δὲ ἀνισταμένοισιν ἐκ τῶν νούσων τι πονέει, ἐνταῦθα αἱ ἀποστάσιες γίνονται.

Quibus ex morbo conualescentibus pars aliqua laborat, eò abscessus fiunt.

Conualescentibus, resurgentibus ex morbis, potissimum febribus. *laborat*, dolorem sentit. *eò*, in hac parte, in qua labor est & dolor. *abscessus fiunt*, dolor enim destillationes excitat.

APHOR. 33 ARGVM.

Dolorem & lassitudinem morbum antecedentia, in causa esse cur in partem aliquam superuacua decumbant.

Ἀτὰρ ἢν καὶ προπεπονηκός τι ᾖ πρὸ τοῦ νοσέειν, ἐνταῦθα στηρίζει ἡ νοῦσος.

Sed si qua ante morbum pars laborauerit, ibi morbi sedes.

Ante morbum, antequam aliquis febre, aut alio morbo affligi cœperit. *pars laborauerit*, aut labore lassata fuerit. *ibi morbi sedes*, eámque in partem morbus decumbit, & futurus est abscessus in ea, per quem morbus ipse iudicabitur: nisi per aliquam excretio-

nem, quæ fit per vrinam, aut sanguinis è naribus profluuium, vacuati fuerint eiusmodi humores crassi, facientes abscessum.

APHOR. 34 ARGVM.

Anginam ex gutturis inflammatione ortam, confestim strangulare.

HN ὑπὸ πυρετοῦ ἐχομένῳ, οἰδήματος μὴ ἐόντος ἐν τῇ φάρυγγι πνὶξ ἐξαίφνης ἐπιγίγνηται, θανάσιμον.

Si febre detento suffocatio derepentè superuenerit, nullo in faucibus apparente tumore, est mortiferum.

Si febre detento, & febricitanti homini febre intensa aut remissa. *suffocatio*, si strangulatio. *in faucibus*, ore ipso aperto. *mortiferum*, quòd obstruantur ea quæ respirationi seruiunt instrumenta.

APH. 35 ARGVM.

Quid accidat his qui alia anginæ specie corripiuntur.

HN ὑπὸ τοῦ πυρετοῦ ἐχομένῳ ὁ τράχηλος ἐξαίφνης ἐπιστραφῇ, καὶ μόγις κα-

καταπίνειν δύνηται, οἰδήματος μὴ ἐόντος, θανάσιμον.

Si febre detento repentè collum intorqueatur, ac vix deglutire queat, nullo existente tumore, mortiferum.

Si febre, vehemēti. *collum intorqueatur*, repentè. *nullo existente tumore*, in faucibus. *mortiferum*, signum est: quòd inflammationē aliquam in gulæ præiacentibus musculis, aut ipsa gula, esse portendat.

APHOR. 36 ARGVM.

In febribus, aliisque morbis acutis, qui sudores iudicatorij, qui minus sint exprimuntur.

Ἱδρῶτες πυρεταίνουσιν ἢν ἄρξωνται, ἀγαθοὶ τριταῖοι, καὶ πεμπταῖοι, καὶ ἑβδομαῖοι, καὶ ἐνναταῖοι, καὶ ἑνδεκαταῖοι, καὶ τεσσαρεσκαιδεκαταῖοι, καὶ ἑπτακαιδεκαταῖοι, καὶ μιῇ καὶ εἰκοστῇ, καὶ ἑβδόμῃ καὶ εἰκοστῇ, καὶ τριακοστῇ πρώτῃ, καὶ τριακοστῇ τετάρτῃ. οὗτοι γὰρ οἱ ἱδρῶτες νούσους κρίνουσιν. οἱ δὲ μὴ οὕτως γινόμενοι, πόνον σημαίνουσι, καὶ μῆκος νούσου, καὶ ὑποτροπιασμούς.

Sudores febricitantibus boni, qui manare cœperint die tertio, quinto, septimo, nono, vndecimo, decimoquarto, decimoseptimo, vicesimoprimo, vicesimoseptimo, tricesimoprimo, & tricesimoquarto. ij enim sudores morbos iudicant. Qui secus euenerint, laborem, & morbi longitudinem, aut eiusdem redditum significant.

Sudores febricitantibus, febre acuta, vt ardente, & tertiana interpolata. *manare cœperint*, & euenerint his diebus in textu enumeratis. *iudicant morbos*, & bene finiunt. *qui secus euenerint*, scilicet aliis diebus intermediis, mala in contextu recitata significant.

APH. 37 ARGVM.

Frigidum sudorem in acuta febre ortũ mortem portendere.

OI ψυχροὶ ἱδρῶτες ξὺν μὲν ὀξεῖ πυρετῷ γιγνόμενοι, θάνατον· ξὺν πρηϊτέρῳ δὲ, μῆκος νούσου σημαίνουσι.

Frigidi sudores cum febre quidem acuta mortem, cum mitiore verò morbi longitudinem significant.

Frigidi sudores, tales nimirum ad medici tactum & assistentium, quique è corpore eiusmodi emanant. *quum acuta*, & vehementi febre facti. *mortem*, significant enim tantam in corpore ipso frigidiorum humorum copiam, vt neque à natiuo calore, neque febri li queant calefieri. *cum mitiore*, febre frigidi sudores facti. *longitudinem morbi significant*, quòd humores crassi & multi sint, nec breui tempore concoqui & discuti queant.

APHOR. 38 ARGVM.

Ex sudore cognosci posse in qua corporis parte hæreat morbus.

Καὶ ὅκου ἔνι τοῦ σώματος ἱδρώς, ἐνταῦθα φράζει τὴν νοῦσον.

Qua corporis parte sudor, ibi morbus.

Qua corporis parte sudor, sponte, & à natura ipsa propellente factus, non à causa externa. *ibi morbus*, qui iam actu infestat, aut paulo pòst futurus est.

APH. 39 ARGVM.

Ex calore & frigore posse deprehendi, in

in qua parte corporis morbus sit.

Καὶ ὅκου ἔνι τοῦ σώματος θερμὸν ἢ ψυχρὸν, ἐνταῦθα ἡ νοῦσος.

Et qua parte corporis inest calor aut frigus, ibi morbus.

Calor, insignis, neque à causa externa excitatus. *aut frigus*, cõsimiliter insigne. *ibi morbus*, quippe necesse est tũ eam corporis partem quæ nimium calet aut friget, naturalem suam temperiem amisisse.

APH. 40 ARGVM.

Quid crebræ caliditatis aut frigiditatis in vniuerso corpore mutationes portendant.

Καὶ ὅκου ἐν ὅλῳ τῷ σώματι μεταβολαὶ, καὶ ἢν τὸ σῶμα καταψύχηται ἢ αὖθις θερμαίνηται, ἢ χρῶμα ἕτερον ἐξ ἑτέρου γίνηται, μῆκος νούσου σημαίνει.

Et quando toto corpore mutationes accidunt, vt si corpus refrigeretur & vicißim calefiat, vel color alius ex alio oriatur, longitudinem morbi significant.

Refrigeretur & vicißim calefiat, va-

riis vicibus,& perseueranter. *significat*, modo vires robustæ sint: nam hæ qualitatum atque colorum mutationes, humores(quos maximè colores ostendunt)efficientes morbum, esse varios & diuersos præ se ferunt, ad quos coquendos natura longo indiget tẽpore.

APH. 41 ARGVM.

Quid liceat medico prædicere ex sudore copioso à somno facto.

Ἱδρὼς πολὺς ἐξ ὕπνου ἄνευ φανερῆς αἰτίης γινόμενος τῷ σώματι, σημαίνει ὅτι πλείονι τροφῇ χρέεται. ἢν δὲ τροφὴν μὴ λαμβάνοντι τοῦτο γίγνηται, σημαίνει ὅτι κενώσιος δέεται.

Sudor multus per somnum factus, copiosiore cibo corpus vti significat: Quòd si parcius epulanti hoc accidat, vacuatione indigere sciendum est.

Sudor multus, nõ exiguus. *per somnũ factus*, cùm scilicet sanguis & spiritus ad exteriora corporis reuertũtur, absque causa manifesta, vt stragulis, & id genus aliis sudorem prolicientibus. *copiosiore cibo*, è cibi enim copia multa excrementa, quæ cum calore & spiritu

ad exteriora feruntur, generari necesse est. *parcius epulanti,* hoc accidat, vt sine manifesta causa post somnum sudet. *vacuatione indigere,* quæ fit per venæ sectionem, vel per medicamẽtum purgans, pro ratione redundantiæ excrementorum, quæ sudoris causa sunt.

APH. 42 ARGVM.

Quid quantitas & qualitas eius sudoris, qui per vniuersum morbi tempus accidit, portendat.

Ἱδρὼς πολὺς ψυχρὸς ἢ θερμὸς αἰεὶ ῥέων, ὁ ψυχρὸς μείζω, ὁ δὲ θερμὸς ἐλάσσω νοῦσον σημαίνει.

Sudor multus, frigidus calidúsue semper fluens, frigidus grauiorem, calidus minorem morbum significat.

Sudor multus, exigu⁹ enim nihil mali portendit. *semper,* per vniuersũ morbi tempus. *frigidus grauiorem,* longiorem morbũ significat: sudor enim frigidus crassitiẽ materiæ, quæ nõ facilè discuti aut à calore vinci queat, præ se fert, ideóq; longitudinem etiã morbi. *calidus minorẽ,* materiã enim tenuem,

& quam prompté concoquere ac discutere natura possit, calidus sudor portendit, ideóque breuiorem etiam morbum.

APHOR. 43 ARGVM.

Continuas febres, quæ per tertium diē validiores fiunt, periculosas, intermittentes periculo vacantes.

Οἱ πυρετοὶ ὁκόσοι μὴ διαλείποντες διὰ τρίτης ἰσχυρότεροι γίνονται, μᾶλλον ἐπικίνδυνοι. ὅτῳ δ' ἂν τρόπῳ διαλείπωσι, σημαίνει ὅτι ἀκίνδυνοι.

Febres quæ tertio quoq; die vehementius affligentes non intermittunt, periculosiores: quoquo modo autem intermiserint, periculum abesse significant.

Febres, continuæ nimirum, quæ ad integritatem & infebricitationem nō desinunt. *tertio die vehementius affligentes*, vt semitertianæ, quæ quidem continuæ sunt, acutæ, & tertio die grauius affligentes. *periculosiores*, quàm quæ intermittunt: nam naturam quiescere non permittunt, nec solum stomachum & neruosam eius partem attingunt,

tingunt, sed etiam lethargicas animi delationes, attonitásque vigilias inuehunt, interim ad syncopem vsq; corpus discutiunt, linguam valde siccant, animi defectionem efficiunt, vehementer ea quæ in alto sunt commouentes. *quoquo modo autem*, & quocũque tempore, vel per maius spatium, vel per minus. *periculum abesse significant*, eo enim tempore quo vacant febre, virtus se recolligere potest.

APH. 44 ARGVM.

Diuturnas febres, vt plurimum per tubercula, & dolores in articulos decumbentes finiri.

ΟΚόσοισι πυρετοὶ μακροὶ, τουτέοισι φύματα ἐς τὰ ἄρθρα ἢ πόνοι ἐγγίνονται.

Quos febres longæ exercent ijs tubercula ad articulos vel labores fiunt.

Quibus febres longæ, à multa materia, crassa, glutinosa & frigida. *ijs tubercula*, & tumores ex quacunque corporis parte erumpentes. *ad articulos*, nam materia illa frigida & crassa, quum per cutis meatus exire non possit facilè ad

articulos decumbit. *Vel labores*, & apoſcemmata, ſiue decubitus noxiorum humorum ad quos dolor ſequitur.

APH. 45 ARGVM.

A febribus conualeſcentes, largiore cibo vti, ſi quando tubercula, & articulorum labores incidunt.

Ὁκόσοισι φύματα ἐς τὰ ἄρθρα ἢ πόνοι ἐκ πυρετῶν γίνονται, οὗτοι σιτίοισι πλείοσι χρέονται.

Quibus tubercula ad articulos vel labores poſt febres fiunt, ij cibarijs pluribus vtuntur.

Poſt febres, longas & diuturnas. *hi cibarijs pluribus vtuntur*, nam quum ſupra mediocritatem, aut viriũ proportionem cibos ingerunt, fieri non poteſt vt rectè cõcoquant, igitur multa excrementa coaceruent neceſſe eſt: quæ ſi ad cutem protruduntur, tubercula, ſi ad articulos, dolores excitant.

APHOR. 46 ARGVM.

Rigor pernicioſus in febribus quando fiat.

ΗΝ ῥῖγος ἐμπίπτῃ πυρετῷ μὴ διαλείποντι, ἤδη ἀσθενεῖ ἐόντι θανάσιμον.

Si rigor febre non intermittente ægrum iam debilem inuadat, mortiferum est.

Si rigor, & vniuersi corporis concussio. *febre non intermittente,* nec desinente. *ægrum iam debilem,* in hoc vltimo naturæ conatu. *inuadat,* natura ipsa insurgente contra res noxias, vt easdē expellat. *mortiferū est,* naturæ indicans summā imbecillitatē, quæ solita in rigoribus noxios humores euacuare, nunc id efficere nō possit, quòd victa ciciderit & extincta sit.

APHOR. 47 ARGVM.

Quid ex prauis excreationibus & ex puitionibus prædicendum.

ΑΙ ἀποχρέμψιες αἱ ἐν τοῖσι πυρετοῖσι μὴ διαλείπουσιν πελιδναὶ, καὶ αἱματώδεες, καὶ δυσώδεες, καὶ χολώδεες, πᾶσαι κακαί. ἀποχωρεόμεναι δὲ καλῶς, ἀγαθαί. καὶ κατὰ τὰς διαχωρήσιας, καὶ κατὰ τὰ οὖρα. ἢν δὲ μή τι τῶν συμφερόντων ἐκκρίνηται διὰ τῶν τόπων τούτων, κακόν.

Excreationes in febribus nō intermit-

tentibus liuidæ, cruentæ, fœtidæ, biliosæ, omnes malæ: cōmodè tamen si prodeant, bonæ. Sed eadem quoque est eorum quæ per aluum, & vrinas excernuntur ratio. Si quid vero quod non iuuet per hæc loca excernatur, malum.

Excreationes, & quæ per fauces & asperam arteriam fiunt purgationes. *nō intermittentibus*, continuis, in quibus plusquam in cæteris morbis mali portendunt. *liuidæ*, quæ colorem cineritium cum quadam nigredine referūt, malæ sunt, quod partium vnde excernuntur mortificationem significent. *cruentæ*, quoque malæ sunt, quòd vasorum apertionem portendant, aut vasis imbecillitatem, aut erosionem à biliosis humoribus factam. *fœtidæ*, grauiter olentes excreationes, malæ quoque sunt, quòd putrefactionem significent. *biliosæ*, quòd puram & immodicam bilem præ se ferant in ipsis febribus continuis. *si prodeant*, excreationes per se prauæ. *quæ per aluum*, per deiectionem & secessum. *siue per vrinas*, nam partem malè affectam expurgāt: quod

quod accidere solet in his omnibus vbi iam facta coctione exeunt & æger facilè tolerat. *per hæc loca*, per os, ventrem inferiorem & vesicam. *malū est*, nam quū non conferant si excernantur, præstaret ea retineri in corpore, magis quam expelli.

APH. 48 ARGVM.

Lætale signum, vbi in ardente febre & lipyria, exteriora frigescunt, & interiora vruntur.

ΕΝ τοῖσι μὴ διαλείπουσι πυρετοῖσιν, ἢν τὰ μὲν ἔξω ψυχρὰ ᾖ, τὰ δὲ ἔνδον καίηται καὶ δίψαν ἔχῃ, θανάσιμον.

In febribus nō intermittentibus si partes externæ algent, internæ vruntur & sitiunt, lætale est.

Non intermittentibus, vt ardēte perniciosa, & lipyria. *si partes externæ*, vt sunt nares, aures, pedes & summæ manus. *algent*, propter sanguinis sese ad viscera recipientis defectum. *internæ*, quæ intra thoracem & ventrem continentur. *vruntur & sitiunt*, vehementer. *lætale est*, signum: significat

enim in visceribus magnam inesse inflammationem, vel erysipelas, sanguine, per modū cucurbitulæ, in eiusmodi partibus inflāmatione affectis, conclusio.

APH. 49 ARGVM.

Signa quædam lætalia, ab animali facultate desumpta, in continuis febribus apparentia enumerantur.

ΕΝ μὴ διαλείποντι πυρετῷ, ἢν χεῖλος, ἢ ὀφρὺς, ἢ ὀφθαλμὸς, ἢ ῥὶς διαστραφῇ, ἢν μὴ βλέπῃ, ἢν μὴ ἀκούῃ, ἤδη ἀσθενέος ἐόντος τοῦ σώματος, ὅ τι ἂν τουτέων γένηται, ἐγγὺς ὁ θάνατος.

In febre non intermittente si labrum, aut supercilium, aut oculus, aut nasus peruertitur, si non videt, si non audit, imbecillo iam corpore quicquid horum acciderit, in propinquo mors.

In febre non intermittente, in qua vires debiles sunt. *si labrum*, peruertatur & distorqueatur, ob neruorum contractionem ad sua principia factam. *peruertitur*, & ex rectis flexuosa omnia illa fiant. *si non videt, si non audit*, facultate

cultate animali motrice & sensifica, imbecilla facta. *imbecillo corpore*, propter noxas quæ motrici facultati accidunt. *quicquid horum*, symptomatũ euenerit. *in propinquo mors*, & quantò plura eorum adsunt, tantò citius mors superuenit.

APH. 50 ARGVM.

Spirandi difficultatem, & delirium in continua febre euenientia, signa esse lætalia.

Ὁκου ἂν ἐν τῷ πυρετῷ μὴ διαλείποντι δύσπνοια γίνηται καὶ παραφροσύνη, θανάσιμον.

Vbi in febre non intermittente difficultas spirandi & delirium acciderit, lætale.

Difficultas spirandi, magna & rara, atq; adeò spiritus magnus & ex longis interuallis. *lætale*, est signum: quòd nimirum & cerebrũ, & instrumenta spiritus, læsa esse significent, quibus symptomatibus febris accedit continua, quæ & ipsa sola per se satis est efficax vt vires corporis prosternat.

APHOR. 51 ARGVM.

Abscessus à morbo non liberantes, in primis diebus iudicatorijs longitudinem morbi significare.

Ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν ἀποστήματα μὴ λυόμενα πρὸς τὰς πρώτας κρίσιας, μῆκος νόσου σημαίνει.

In febribus abscessus qui primis iudicationibus non soluuntur, longitudinem morbi significant.

In febribus, longioribus quæ abscessus iudicari solent. *non soluuntur*, nec à morbo liberantur, quòd noxii humores morbum efficientes, ad locum abscessus vniuersi non decubuerint, sed nonnulli intus relicti fuerint. *significant*, nam humorum noxiorum multitudinem præ se ferunt, quos vna iudicatione natura expellere non potuit.

APHOR. 52 ARGVM.

Quid oculi illachrymantes in morbis portendant.

Ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν ἢ ἐν τῇσιν ἄλλῃσιν ἀρρωστίῃσι κατὰ προαίρεσιν ὀφθαλμοὶ

θαλμοὶ δακρύουσιν, οὐδὲν ἄτοπον. ὁκόσοισι δὲ μὴ κατὰ προαίρεσιν, ἀτοπώτερον.

Quibus in febribus aut aliis morbis voluntariè illacrymant oculi, absurdum non est. Quibus verò præter volūtatem, absurdius.

Absurdum non est, minimè periculosum est, quòd hoc ipsū accidat propter externam causam aliquam, vt amici interitum, aut rerum quæ nobis charæ fuerunt amissionem. *præter voluntatem*, non spōte & minimè de industria. *absurdius*, est id, & periculum, mortem nimirum significat, nam in ipso cerebro læsio significatur, & magna imbecillitas facultatis retentricis, si reliqua etiam signa perniciosa accesserint. quippe vbi cætera se rectè habent, lacrymæ illæ sine voluntate erumpentes, sanguinis è naribus profluuium potius quam mortem portendunt.

APHOR. 53 ARGVM.

Quid lentores iuxta dentes nati, in febribus portendant.

ΟΚόσοισι δὲ ἐπὶ τῶν ὀδόντων ἐν τοῖσι πυρετοῖσι περίγλισχρα γίνεται, ἰσχυρότεροι γίνονται οἱ πυρετοί.

Quibus per febres circa dentes lentor quidã obnascitur, ijs vehementiores sunt febres.

Lentor, humores glutinosi dentibus affixi ab immenso calore, qui hos exsiccauit, oriũtur, quare vehemẽtiores esse febres manifestum est signum.

APH. 54 ARGVM.

Nõnunquam in ardentibus febribus, ægros non admodum siti affici.

ΟΚόσοισιν ἐπὶ πολὺ βῆχες ξηραὶ βραχέα ἐρεθίζουσαι ἐν πυρετοῖσι καυσώδεσιν, οὐ πάνυ τι διψώδεες εἰσίν.

Quibus siccæ tusses paulum irritantes in febribus ardentibus perseuerant, ij non admodum siticulosi esse solent.

Quibus, hominibus plurimum diúque & lõgiore tempore. *siccæ tusses*, in quibus nihil expuitur. *in febribus ardentibus*, sitim vehemẽtem afferentibus. *perseuerant*, atque adeò durant.

non admodum, nec pro ratione & proportione febris. *siticulosi*, propter motum qui in eiusmodi tussi excitatur, atque semper aliquem ex vicinis locis humorem trahit, quo loca ad asperam arteriam sita madescunt.

APHOR. 55 ARGVM.

Omnes febres ex tumoribus adenum ortas, præter diarias, malas esse.

Οἱ ἐπὶ βουβῶσι πυρετοὶ, πάντες κακοὶ πλὴν τῶν ἐφημέρων.

Ex *bubone febres omnes malæ, præter ephemeras.*

Ex *bubone*, omniúmque adenũ aut glandularum tumoribus & inflammationibus. *febres omnes malæ*, nam viscera ipsa, atque adeo partes principes malè esse affectas significant, vtpote quæ iam superuacua à se repellant in adenas, vt qui propter hæc eadem suscipiant. *præter ephemeras*, quarũ proprium est & præcipuum, vt à causa aliqua externa incipiant, & vna die soluantur.

APHOR. 56 ARGVM.

Sudorem crebrò accidentem febricitãti, febre non quiescente, duplici nomine malum, quòd febrem non soluat, sed in longius tempus protrahat, deinde quòd multam significet humiditatem, quam natura breui tempore concoquere non possit.

Πυρέσσοντι ἱδρὼς ἐπιγινόμενος, μὴ ἐκλείποντος τοῦ πυρετοῦ, κακόν. μηκυνέει γὰρ ἡ νοῦσος, καὶ ὑγρασίην πλείω σημαίνει.

Febricitanti sudor superueniens febre ægrotum non deficiente, malum. prorogatur enim morbus, & plus humiditatis inesse significat.

Febricitanti sudor, creber & assiduus. *superueniens malum*, portendit, quod sequentia ostendunt. *prorogatur enim morbus*, adeò in longius tempus protrahitur. *& plus humiditatis*, quã constat aliud nihil esse quam excrementa humida in singulis partibus nasci solita, quæ crebri huius sudoris causa sunt.

APH. 57 ARGVM.

Correptos conuulſione aut diſtentione, liberari febre ſuccedente.

ΥΠὸ σπασμοῦ ἢ τετάνου ἐνοχλουμένῳ πυρετὸς ἐπιγινόμενος, λύει τὸ νόσημα.

Spaſmo aut tetano febris ſi acceſſerit, morbum ſoluit.

Spaſmo, ſiue diſtentioni neruorum, quæ vtplurimum à materia frigida & pituitoſa fit. *aut tetano*, ſiue rigori, in quo vniuerſum corpus recta extenditur, & veluti riget. *febre ſuperueniente morbum ſoluit*, febris enim concoquit & diſſoluit materiã eiuſmodi affectus procreantem.

APHOR. 58 ARGVM.

Ardente febre correptos liberari, ſi rigor ſuperueniat.

ΥΠὸ καύσου ἐχομένῳ ἐπιγινομένου ῥίγεος, λύσις γίνεται.

Si febre ardente laboranti rigor ſuperueniat, ſolutio fit.

Febre ardente laboranti, ob bilem in

venis putrefactam. *superueniat rigor*, inæqualis totius corporis conquassatio, post signa coctionis, & die iudicatorio cum virium robore. *solutio fit*, & à morbo liberatur, quòd bilis quæ interim in venis continebatur, à natura per carnes ad cutem iudicatoriè excutiatur, & per sudorem vacuetur: qua ratione rigor signum solutionis febris ardentis erit, non causa sanans.

APHOR. 59 ARGVM.

Longißimus exquisitæ tertianæ terminus describitur.

Τριταῖος ἀκριβὴς κρίνεται ἐν ἑπτὰ περιόδοισι, τὸ μακρότατον.

Tertiana exquisita septenis ad summum circuitibus iudicatur.

Tertiana *exquisita*, quæ ex flaua bile, per sensiles corporis partes delata, oriri solet. *septenis circuitibus ad summum iudicatur*, sex temporibus circũscriptis, quod longissimum est, terminatur: quando nec humor ex quo cõsistit, crassus est aut lentus tenaxve, vt in quotidianis & quartanis, imò nec

admo-

admodum copiosus, proinde facilè & citò discutitur.

APH. 60 ARGVM.

Instabilem surditatem per profluuiũ sanguinis e naribus, vel alui perturbationem solui.

Ὁκόσοισιν αἱ ἐν πῦσι πυρετοῖσι τὰ ὦτα κωφωθῇ, αἷμα ἐκ ῥινῶν ῥυὲν, ἢ κοιλίη ἐκταραχθεῖσα λύει τὸ νούσημα.

Quibus per febres aures obsurduerint, ijs sanguis è naribus profluens, aut perturbata aluus soluit morbum.

Quibus per febres, aliósque morbos sine febre. *aures obsurduerint*, quod vt plurimum à biliosa materia fit. *aluus turbata*, quæ nimirum humorum à capite ad se demissorum defluxum patitur. *soluit morbum*, & surditatem ipsam: nam humorem, & febrem & surditatem efficientem, contingit expelli.

APHOR. 61 ARGVM.

Bonas eas tantum iudicationes quæ in diebus imparibus eueniunt.

ΠΥρέσσοντι ἢν μὴ ἐν περισσῇσιν ἡμέρῃσιν ἀφῇ ὁ πυρετὸς, ὑποτροπιάζειν εἴθεων.

Febricitatem nisi diebus imparibus febris reliquerit, solet reuerti.

Febricitantem, febre acuta. *nisi diebus imparibus*, in quibus quòd accidat accessio, iudicatio fieri solet. *febris*, ea acuta reliquerit. *solet reuerti*, nam non naturæ lege, sed vi symplomatis, iudicium factum est.

APH. 62 ARGVM.

Excretiones quæ in diebus decretorijs non fiunt malas esse, regij morbi exemplo.

ΟΚόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν ἴκτεροι ἐπιγίνονται πρὸ τῶν ἑπτὰ ἡμερῶν, κακόν.

Quibus super febres morbus regius superuenerit ante diem septimum, malum.

Quibus super febres, acutas atque adeò continuas. *regius morbus*, ex iecoris inflammatione ortus, non è duritie aut obstructione. *malum*, nam visceris

sceris phlegmonem præ se fert: deinde bilis ante septimum diem iudicatoriè ad corpus efferri & effundi nō potest.

APH. 63 ARGVM.

Causam adfert cur febres intermittē-tes ad integritatem veniant.

Ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσι καθ' ἡμέρην ῥίγεα γίνεται, καθ' ἡμέρην οἱ πυρετοὶ λύονται.

Quibus in febribus certo die rigores repetunt, eodem febres soluuntur.

Quibus in febribus, intermittentibus. *rigores*, atque adeò refrigerationes & horrores. *soluuntur*, veniúntque ad integritatem, & sine febre sunt. Nam singulis accessionibus humores febres efficientes expurgantur & vacuantur, quicquid enim humoris efferbuit, in ipsa accessione totum expurgatur, & febres necessario ad integritatem veniunt.

APH. 64 ARGVM.

Quid morbus regius in febribus post septimum diem superueniens portendat.

Ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσι τῇ ἑβδόμῃ, ἢ τῇ ἐνάτῃ, ἢ τῇ ἑνδεκάτῃ, ἢ τεσσαρεσκαιδεκάτῃ ἴκτεροι ἐπιγίνονται, ἀγαθόν, ἢν μὴ τὸ δεξιὸν ὑποχόνδριον σκληρὸν ᾖ. ἢν δὲ μή, οὐκ ἀγαθόν.

Quibus per febres morbus regius die septimo, aut nono, aut vndecimo, aut quartodecimo superuenerit, bonum, nisi dextrum hypochondrium durum sit: alioqui, minimè bonum.

Quibus per febres, aeutas, *morbus regius die septimo &c.* diebus omnib⁹ iudicatoriis superuenerit. *bonũ*, nã naturã bilẽ ipsã flauã, vnde procreata fuit febris, ad cutẽ iudicatoriẽ irrepsisse significat. *nisi dextrũ hypochondriũ*, quæ pars est supra vmbilicũ, vtrinq; ad latera, spuriis costis subiecta. *durũ sit*, aut aliquis malus affectus, ex his quos paulo antè cõmemorauimus, hepati acciderit, nẽpe inflãmatio, quæ febrẽ cõcomitatur. *alioqui*, si nõ in diebus prædictis iudicatoriis accidat morb⁹ regi⁹. *minimè bonũ*, quippe tũ nõ lege naturæ prodiit morbus regius, sed morbi magis malitia.

APH. 65 ARG.

Quid in acutis febribus morsus, vehe-

mensque ventriculi æstus, portendat.

ΕΝ πυσὶ πυρετοῖσι περὶ τὴν κοιλίην καῦμα ἰσχυρὸν καὶ καρδιωγμὸς, κακόν.

In febribus circa vetriculum vehemens æstus & cordis morsus, malum.

In febribus, acutis & vehementibus, *circa ventriculũ*, in se cibũ assumptum recipientẽ, *vehemẽs æstus*, de quo æger mirificè cõqueritur, ita vt hæc pars sibi quasi ardere videatur, præ nimio æstu. *& cordis*, seu oris ventriculi, quẽ cor antiqui appellauere, morsus, *malũ*, quippe flauã bilẽ in ventriculi tunicis ebullientem præ se fert.

APHOR. 66 ARGVM.

Conuulsiones, & vehementes viscerum dolores, non leue malum in acutis febribus significare.

ΕΝ τοῖσι πυρετοῖσι τοῖσιν ὀξέσιν οἱ σπασμοὶ καὶ οἱ περὶ τὰ σπλάγχνα πόνοι ἰσχυροὶ, κακόν.

In acutis febribus conuulsiones, & circa viscera vehemẽtes dolores, malũ.

In acutis febribus, & in cæteris calidiorib⁹ & magis exsiccãtibus morbis, *cõuulsiones*, ex siccitate potissimũ & inanitione ortæ. *& circa v*. nẽpe cor, iecur, pulmonẽ, & lienẽ. *malũ*, portẽ-

dunt, dolorem enim sentiunt propter viscerũ inflammationem, aut obstructionem, aut abscessum.

APHOR. 67 ARGVM.

Pauores cõuulsionésque post somnum factas, malum portendere.

EN πῦσι πυρετῶισιν οἱ ἐκ τῶν ὕπνων φόβοι ἢ σπασμοὶ, κακόν.

In febribus per somnum pauores, aut conuulsiones malum portendunt.

In febribus, vehementibus & acutis, atque adeò in aliis morbis exitialibus. *per somnum*, qui potissimum in febris declinatione fit, in qua prodesse deberet. *pauores*, ingentem melancholicorum humorum copiam, caput per somnum replentium & aggrauantium, significantes. *conuulsiones*, post somnũ in morbis acutis prouenienres. *malũ portendunt*, quòd pituitosorum humorum multitudinem præ se ferant.

APH. 68 ARGVM.

Subsistentem spirationem in febribus, malum portendere.

EN τοῖσι πυρετοῖσι τὸ πνεῦμα προσκόπτον, κακόν. σπασμὸν γὰρ σημαίνει.

In febribus spiritus offendens, malo est. conuulsionem enim significat.

In febribus, acutis & vehementibus, *spiritus offendens*, subsistens nimirum, & interrupta spiratio. *conuulsionem enim significat*, eámque ex siccitate ortam, quam quidem febris acuta musculos & neruos thoracem mouentes plus iusto exsiccans, procreauit.

APH. 69 ARGVM.

Crassam vrinam per initia morbi, aut non multò post apparentem, commodè subinde in tenuem eamque multam, cõmutari.

OΚόσοισιν οὖρα παχέα, θρομβώδεα, ὀλίγα οὐκ ἀπυρέτοισι, πλῆθος ἐπελθὸν ἐκ τουτέων λεπτὸν, ὠφελέει. μάλιστα δὲ τὰ τοιαῦτα ἔρχεται οἷσιν ἐξ ἀρχῆς ἢ διὰ ταχέων ὑπόστασιν ἴσχει.

Quibus nõ sine febri vrinæ sunt crassæ, grumosæ, & paucæ, si ab his tenues & copiosæ meiantur, prosunt. Maximè

vero tales redduntur, in quibus statim ab initio, vel non ita multo post sedimẽtum apparuerit.

Quibus vrinæ, consistentia ipsa, & aquositate, *crassæ grumosæ*, multã crassam subsidentiam, aut in grumos conformatam, habentes. *si ab his tenues & copiosæ*, post crassas, grumosas, & paucas prouenientes. *prosunt*, nam alteratricem facultatem robustiorem factam, & ita humores illos crassos attenuasse significant, vt maior eorũ pars sit vacuata. *maxime vero tales redduntur*, exeuntque iis quibus ab initio febris, vel paulo pòst. *sedimentum apparuerit*, ratione grauitatis materiæ, non lege naturæ: neque enim coctionem significat hæc subsidentia, vtpote quæ initio morbi fieri non possit.

APH. 70 ARGVM.

Quid vrinæ perturbatæ in febribus significent.

Ὁκόσοισι δὲ ἐν πυρετοῖσι τὰ οὖρα ἀναπεποιημένα οἷον ὑποζυγίου, τουτέοισι κεφαλαλγίαι ἢ πάρεισιν, ἢ παρέσονται.

Quibus per febres vrinæ turbatæ, quales iumentorum, iis dolor capitis vel adest vel aderit.

Quibus per febres vrinæ turbatæ, & tales semper permanent durãte febre, quod accidit cum materia crassa, densa & flatuosa, calore conficitur, concoquitur aut agitatur. *quales iumentorũ*, equorum, boum & eiusmodi animantium, quæ iugum ferunt, atque homines in laboribus suis coadiuuant, horum enim vrinæ emissæ turbantur, permanéntque turbidæ, propterea quod victu vtuntur tali vnde crassi humores procreantur. *his dolor capitis*, propter conturbationem & euaporationẽ humorum; promptè siquidem spiritus flatuosus vnà cum calore fertur ad caput.

APH. 71 ARGVM.

Quartum diem septenorum esse indicem, nubeculæ rubræ exemplo.

Ὀκόσοισιν ἑβδομαῖα κρίνεται, τουτέοισιν ἐπινέφελον ἴσχει τὸ οὖρον τῇ τετάρτῃ ἐρυθρὸν, καὶ τ᾽ ἄλλα κατὰ λόγον.

Quibus die septimo futura crisis est, ijs vrina rubram die quarto nubeculã habet, cæteráque pro ratione.

Quibus die septimo futura crisis, ad salutẽ. *ijs vrina rubram nubeculã*, quæ aliud nihil quàm humores noxios propemodũ coctos esse significat, vt ea apparente in quarto, qui septimi index est, necesse sit in septimo bonam iudicationem fieri. Significat idem alba nubecula, atqui rubræ nubis tanquam signi perrari meminit Hippocr. *cæteráque*, signa quæ iudicationem monstrant, in diebus decretoriis fieri solitam, futuram, vel in vrinis, vel alui deiectionibus, vel sputis. *pro ratione*, & proportione in ipso quarto die apparere debent, si iudicium firmum septimo die futurum sit.

APHOR. 72 ARGVM.

Aquosam vrinam malam, si præsertim in phreniticis appareat.

Οὖρα διαφανέα, λευκὰ, πονηρά. μάλιστα δὲ ἐν τοῖσι φρενιτικοῖσιν ἐπιφαίνεται.

Quibus

Quibus pellucidæ & albæ sunt vrinæ, malæ, præsertim si in phreneticis appareant.

Quibus *pellucidæ*, perspicuæ sunt siue aquosæ, & longo tẽpore tales prodeunt à causa interna, non externa aliqua. *malæ*, nam extremam cruditatem significant, & bilem flauam non in vasis permanere, sed ad cerebrũ ob leuitatem rapi. *præsertim si in phreneticis appareant*, vitiosæ sunt maximè: nã quum phrenitis à bilioso sanguine oriatur, par est vt vrina flaua sit, quod quum non accidat, signum est vniuersam bilem ad caput rapi, quod perniciosum est.

APH. 73 ARGVM.

Quid ex hypochõdrijs inflatis ac murmurantibus prædici possit.

Ὁκόσοισιν ὑποχόνδρια μετέωρα διαβορβορίζοντα, ὀσφύος ἀλγήματος ἐπιγινομένου αἱ κοιλίαι τουτέοισι καθυγραίνονται, ἢν μὴ φῦσαι καταρραγέωσιν ἢ οὔρου πλῆθος ἐπέλθῃ. ἐν πυρετοῖσι δὲ ταῦτα.

Quibus elata hypochondria murmu-

rant, lumborum superueniente dolore aluus humectatur, nisi inferne flatus erumpant, aut vrinæ multitudo prodeat. Atque hæc in febribus.

Elata hypochondria, suspensa, inflata, & tumentia. *murmurant*, quòd in his spiritus seu flatus insint. *superueniente lumborũ dolore*, quod fit vbi murmur ad lumborum loca delabitur, sede hypochondriorum derelicta. *aluus humectatur*, nam quum mediocris humiditas spiritu mixta est, quam spiritus, suapte natura mobilis, ad aluum deducit secum, eámque humectat, hoc autẽ certò euenire solet. *nisi flatus erumpãt*, si enim soli flatus erumpant, humorem in corpus distributum esse significant, ideo tum alui humectari non possunt. *aut vrinæ multitudo prodeat*, nã tum humor, quo debuit aluus humectari, in corpus distributus, per vrinam euacuatur, adeò vt vna hîc vacuatio aliam impediat. *atque hæc in febribus*, accidunt in febribus dico quæ per se morbi sunt, & nequaquam aliorum morborum symptomata.

APH. 74 ARGVM.

Interdum contingere vt diuturnæ febres aliter quam per abſceſſus & decubitus finiantur.

Ὁκόσοισιν ἐλπὶς ἐς τὰ ἄρθρα ἀφίστασθαι, ῥύεται τῆς ἀποστάσιος οὖρον πολὺ καὶ παχὺ, καὶ λευκὸν γινόμενον; οἷον ἐν τοῖσι κοπώδεσι πυρετοῖσι τεταρταίοισιν ἄρχεται ἐνίοισι γίνεσθαι. ἢν δὲ καὶ ἐκ τῶν ῥινῶν αἱμορραγήσῃ, καὶ πάνυ ταχὺ λύεται.

Vbi ſpes eſt ad articulos abſceſſum iri, abſceſſu liberat vrina multa craſſa & alba reddita: qualis in febribus laborioſis quarto die quibuſdam exire incipit. Quod ſi ex naribus etiam ſanguis profluxerit, breui admodum ſolutio fit.

Vbi ſpes eſt, quum in diuturnis febribus, quæ magna ex parte à craſſis & viſcoſis humorib⁹ naſcũtur, ſperatur. *ad articulos abſceſſum iri*, per quem ſcilicet diuturnæ febres vt plurimũ iudicãtur. *vrina multa craſſa & alba reddita*, quæ craſſos illos humores, qui abſceſſus cauſa futuri erant, expurgat.

qualis in febribus laboriosis; in quibus lassitudinis sensus aliquis existit, in his enim potissimum abscessus fieri solēt. *Quod si ex naribus etiā*, cum vrina prædicta sanguinis fluxus per nares supervenerit. *solutio fit*, valde celeriter liberantur ab abscessu: in partes enim diuisa materia, supra scilicet & infra, velocissima fit morbi solutio.

APH. 75 ARGVM.

Quid sanguinis aut puris mictio portendant.

HN αἷμα ἢ πῦον οὐρέῃ, τῶν νεφρῶν, ἢ τῆς κύστιος ἕλκωσιν σημαίνει.

Si quis sanguinem aut pus meiat, renum aut vesicæ exulceratio significatur.

Si quis sanguinem aut pus, quod ex abscessu rupto prouenit. *meiat*, multis consequenter diebus ac mensibus. *renum aut vesicæ*, vel vreterum. *exulceratio significatur*, qua verò ratione diiudicare oporteat vtra trium commemoratarum partium magis afficiatur, dolor qui in illis partibus fit, & exeuntia ostendunt.

Aphor.

APH. 76 ARGVM.

Quid exiguæ carunculæ aut veluti capillamenta in vrinis, præ se ferunt.

ΟΚόσοισιν ἐν τῷ οὔρῳ παχεῖ ἐόντι σαρκία μικρὰ, ἢ ὥσπερ τρίχες ξυνεξέρχονται, τουτέοισιν ἀπὸ τῶν νεφρῶν ἐκκρίνεται.

Quibus cum vrina crassa exiguæ carunculæ, ac veluti pili exeunt, his à renibus excernitur.

Vrina *crassa*, mediocriter nimirum, & secundum naturam se habente. *carunculæ*, quas, vtpote renum essentiæ partes, ob vehementem vlceris erosionem auulsas esse constat. *aut veluti pili exeunt*, cum crassa vrina. *à renibus excernitur*, hisque vlceratis carunculæ paruæ: nō vlceratis velut capillamenta exeunt.

APH. 77 ARGVM.

Quid in medioeri vrina & secundū naturam se habente, furfurea significet subsidentia.

ΟΚόσοισιν ἐν τῷ οὔρῳ παχεῖ ἐόντι πιτυρώδεα συνεξουρέεται, τουτέοισιν ἡ κύστις ψωριᾷ.

Quibus cum vrina crassa furfurosa quædam vnà exeunt, his vesica scabie laborat.

Quibus cum vrina crassa, quæ mediocris est substantiæ, vtpote nec tenuis nec crassa. *furfurosa quædam*, furfuris bene moliti similia *exeunt*, minguntur. *his vesica*, quæ difficulter curatur. *scabie laborat*, alioqui si furfurea cum tenui & cruda vrina prodeunt, non vesicæ scabiem, sed potius consumptionem totius corporis ostendunt.

APH. 78 ARGVM.

Quid copiosa & repetina synceri sanguinis mictio præ se ferat.

Ὁκόσοι ἀπὸ ταὐτομάτου αἷμα οὐρέουσι, τουτέοισιν ἀπὸ τῶν νεφρῶν φλεβίου ῥῆξιν σημαίνει.

Qui inopinanter sanguinem meiunt, ijs à renibus venulam ruptam esse significatur.

Qui inopinanter, & copiosè. *sanguinem*, purum & syncerum, meiunt. *venulam ruptam esse*, nam ob multitudi-

nem

nem ſanguinis, renum venulæ intenduntur & rumpuntur.

APH. 79 ARGVM.

Subſidentias arenoſas in vrinis, calculi eſſe notas.

ΟΚόσοισιν ἐν τῷ οὔρῳ ψαμμώδεα ὑφίσταται, τουτέοισιν ἡ κύστις λιθιᾷ.

Quibus in vrina ſubſident ſabuloſa, ijs veſica calculo laborat.

Subſident ſabuloſa, hypoſtaſes arenarum plenæ viſuntur. *ijs veſica*, aut renes. *calculo laborat*, veſica potiſſimũ, quòd effatu dignam habeat cauitatẽ.

APH. 80 ARGVM.

Quid ſanguinis aut grumorũ mictio, cum vrinæ ſuppreſſione, & dolore adimum ventrem, pectinem & interfœmineum, portendant.

ΗΝ αἷμα οὐρέῃ, καὶ θρόμβους, καὶ στραγγουρίην ἔχῃ, καὶ ὀδύνη ἐμπίπτῃ ἐς τὸ ὑπογάστριον, καὶ ἐς τὸ περίναιον, τὰ περὶ τὴν κύστιν πονεῖ.

Si quis ſanguinem aut grumos meiat, aut vrinam guttatim emittat, dolore ad

hypogastrium & pectinem & perinæū pertinente, ad vesicam loca laborant.

Si *quis sanguinem*, liquidum *aut grumos*, sanguineos, qui fiunt vbi sanguis extra vasa promanans, à frigore concrescit. *aut vrinam gutatim*, stillicidiū vrinæ habeat, propter grumos vesicæ meatum obstruentes, quos adesse ex eo constat, quòd sic laborantes, antea plurimum sanguinem liquidum cum vrina reddiderunt. *dolore ad hypogastrium*, ad imum ventrem. *& pectinē*, imo ventri subiacentem, quo in loco pili inhorrescunt. *& perinæum*, fœmē & interfœmineum, quod est spatium inter penem & anum. *ad vesicam loca laborant*, instrumenta vrinæ inseruientia malè affecta esse certum est.

APHOR. 81 ARGVM.

Exulceratæ vesicæ signa recensentur.

HN αἷμα καὶ πῦον οὐρέῃ, καὶ λεπίδας. καὶ ὀσμὴ βαρείη ᾖ, τῆς κύστιος ἕλκωσιν σημαίνει.

Si quis sanguinem, aut pus, aut squamulas

mulas meiat, & grauis odor adsit, vesicæ exulceratio significatur.

Si quis *sanguinem*, tenuem vel crassũ. *aut pus*, verum meiat, quæ duo vesicæ sunt non propria, sed aliis partibus signa communia. *& scamulas*, quæ scabiei vesicæ certa sunt signa. *& grauis odor adsit*, ob magnam vrinæ copiam ad vesicam profluẽtem, in qua admodum imbecilli, promptè putrescit & grauem fœtorẽ subinde acquirit. *Vesicæ exulceratio significatur*, modò grauis odor & scammulæ adesse videantur.

APHOR. 82 ARGVM.

Qua ratione vrinæ suppreßio, ex tuberculo in foramine penis nata, soluatur.

Κόσοισιν ἐν τῇ οὐρήθρῃ φῦμα φύεται, τουτέοισι διαπυήσαντος καὶ ἐκραγέντος, λύσις.

Quibus in meatu vrinario nascitur tuberculum, suppurato eo & rupto, solutio.

Quibus in meatu vrinario, in vrinaria fistula, & penis eo foramine per

quod vrina excernitur. *nascitur tuberculum*, tumor præter naturã, suppressionem vrinæ efficiens, esse cœpit. *suppurato eo*, vt quum hic tumor ad suppurationem peruenerit, adeo vt pus effectum sit. *& erupto*, eruptione puris facta quod in tuberculi folliculo contentũ, vrinam ne exiret impediebat. *solutio fit*, doloris, & suppressionis vrinæ: nam propter tuberculum dolores excitabantur, sequebatur & obstructio, vnde vrinæ suppressio erat.

APH. 83 ARGVM.

Vnam vacuationem aliam impedire, mictionis & deiectionis exemplo.

Οὔρησις νύκτωρ πολλὴ γινομένη σμικρὴν τὴν ὑποχώρησιν σημαίνει.

Mictus noctu plurimus, paruam deiectionem significat.

Mictus noctu, quo tempore potissimum vrina & alui excrementa excernuntur, ratione somni, & coctionis probè factæ. *plurimus*, nempe in sanitate. *paruã deiectionem significat*, quòd

corporis

corporis nostri humiditates ad vrinæ vias transmittantur, & excrementa in intestinis coaceruata sicca remaneant neque excerni possint.



APHORISMORVM HIPPOCR.

LIBER. V.

ARGVMENTVM.

Varia est hæc quinta sectio, propemodum tamen in mulierum morbis, vterique affectibus bonis vel malis, tota est.

APHORISMI PRIMI ARGVMENTVM.

Conuulsionem ex ellebori, omnisque medicamenti vehementis assumptione prouenientem, periculosam, mortémque sæpius inferre.

Σπασμὸς ἐξ ἐλλεβόρου, θανάσιμον.
Conuulſio ab elleboro, lætalis.

Conuulſio ab elleboro, albo ſcilicet *lætalis eſt*, propter inanitionem ab immodica vacuatione, quã ſequitur ſiccitas incurabilis.

APHOR. 2 ARGVM.

Conuulſionem ex vulnere factã magna ex parte lætalem eſſe.

Ἐπὶ τραύματι σπασμὸς ἐπιγινόμενος, θανάσιμον.

Conuulſio à vulnere pernicioſa.

Conuulſio à vulnere, quod magna ex parte ſequitur inflammatio, idque potiſſimum quod neruoſas attingit partes, *pernicioſa*, certè periculoſa, & ad mortem vt plurimum tendens.

APHOR. 3 ARGVM.

Singultum aut conuulſionem à copioſa ſanguinis eruptione factam, periculoſam.

Αἵματος πολλοῦ ῥυέντος σπασμὸς ἢ λυγμὸς ἐπιγινόμενος, κακόν.

A copioſo ſanguinis fluxu ſingultus, aut

aut conuulsio mala.

A *copioso sanguinis fluxu*, è quouis loco, siue è naribus, siue ab ore, thorace, ventriculo, vtero, hæmorrhoidibus, vulnere. *singultus*, qui ventriculi motus est deprauatus. *malum*, quippe quũ sanguinis profluuium omnes corporis venas exhauriat, vt eas quoq; quæ sunt in ore ventriculi vacuet oportet, quibus vacuatis fit vt vehementius ex ipso ventriculo trahant: qui tandem ex ea tractione inanitus & exsiccatus, singultus non abs re incidit.

APH. 4 ARGVM.

Singultum aut conuulsionem immodicis purgationibus succedentem, malũ portendere.

Ἐπὶ ὑπερκαθάρσει σπασμὸς ἢ λυγμὸς ἐπιγινόμενος, κακόν.

A *purgatione immodica* (*quam hypercatharsim vocant*) *conuulsio aut singultus malus.*

A *purgatione*, superflua, & arte facta. *conuulsio aut singultus malus*, ꝙ im-

modicam inanitionem (quam partim siccitas insanabilis consequitur) significent.

APHOR. 5 ARGVM.

Ebrios interdum conuulsos mori.

HN μεθύων, ἐξαίφνης ἄφωνός τις γένηται, σπασθεὶς ἀποθνήσκει, ἢν μὴ πυρετὸς ἐπιλάβῃ, ἢ ἐς τὴν ὥρην ἐλθὼν καθ' ἣν αἱ κραιπάλαι λύονται, φθέγξηται.

Si ebrius quispiam derepentè obmutescat, conuulsus moritur, nisi febre corripiatur, aut qua hora crapula soluitur vocem recuperet.

Si ebrius quispiam derepentè obmutescat, ob vinum immodicè sumptū, quod neruos, & cerebrum eorundem principium, opprimit. *conuulsus moritur*, nam pleno cerebro frigida materia, nerui implentur & conuelluntur. *nisi febre corripiatur*, quæ sua caliditate & siccitate humores frigidos discutiat & exsiccet. *aut qua hora crapula soluitur*, pro multitudine vini epoti & eius vi, ac eius qui potauit natura. *vocē recuperet*, hoc enim vbi acciderit, manifestum est naturam vniuersam materiam

riam

riam frigidam iam euicisse.

APH. 6 ARGVM.

Quis morbi peracuti finis ac terminus, distentionis exemplo.

ΟΚόσοι ὑπὸ τετάνου ἁλίσκονται, ἐν τέσσαρσιν ἡμέρῃσιν ἀπόλλυνται. ἢν δὲ ταύτας διαφύγωσιν, ὑγιέες γίνονται.

Qui tetano corripiuntur, intra quatuor dies intereunt: si vero hos superauerint, incolumes euadunt.

Qui tetano corripiuntur, qui morbus est peracutus, à distẽtione ortus. *intra quatuor dies intereunt*, ꝙ is sit illorum morborum terminus, & facultas ipsa admodum etiam robusta, dolorem & laborem, quem distentio ipsa adfert, diutius ferre non possit. *superauerint*, & vltra diem quartum progrediatur, *incolumes euadunt*, quippe tum naturam superasse morbum spes certissima est.

APHOR. 7 ARGVM.

Aetatis commutatione sanari morbũ comitialem, præsertim quem quis ante pubertatem incurrit.

Τὰ ἐπιληπτικὰ ὁκόσοισι πρὸ τῆς ἥβης γίνεται, μετάστασιν ἴσχει. ὁκόσοισι δὲ πέντε καὶ εἴκοσιν ἐτέων γίνεται, τουτέοισι τὰ πολλὰ ξυναποθνήσκει.

Epileptia ant pubertatem amotionem recipit, post vicesimum vero quintum annum ferè comitatur ad mortem vsque.

Epileptia ante pubertatem, morbi comitiales qui ante pubertatem accidũt, vt ab anno decimo quarto ad vigesimum quintum. *amotionem recipit*, temporis & ætatis mutatione curari potest & sanari. *post vicesimum vero quintũ*, si accidunt morbi comitiales, vt in iuuentute. *ad mortem vsque*, magna ex parte ad finem vsque vitæ durant: sequens enim ætas frigida & humida quum sit, ab ea non profligantur, sed potius tanquam à suo simili conseruantur.

APH. 8 ARGVM.

Pleuritide correptos oportere purgari per sputa, intra quatuordecim dies, alioqui malũ ipsum in suppuratione abire.

Ὁκόσοισι

OΚόσοι πλευριτικοὶ γινόμενοι, οὐκ ἀνακαθαίρονται ἐν τεσσαρεσκαίδεκα ἡμέρῃσι, τουτέοισιν ἐς ἐμπύημα μεθίσταται.

Qui pleuritide laborãt, nisi intra dies quatuordecim supernè repurgentur, ijs in empyema fit mali translatio.

Qui pleuritide laborant, morbo laterali, ex inflammatione membranæ costas succingente orto; qui morbus est acutus. *dies quatuordecim*, in quibus acuti morbi magna ex parte iudicantur. *repurgentur*, per superiora & sputa, supputando videlicet ab eo quo expuere cœpit die. *ijs in empyema*, ad suppurationem vertuntur: nisi enim humores, qui inflammationem excitarunt, in thoracis spatium, & concauitatem refudent & effundantur, atque adeò intra quatuordecim dies per sputa expurgentur, fit inflammationis ad pus transmutatio, & puris inter thoracem & pulmonem effusio, & tandem morbi in alium morbum conuersio.

APH. 9 ARGVN.

Tabem, quæ pulmonis exulceration̄e

consequitur, adolescentiæ & iuuentuti potissimum accidere.

Φθίσις γίνεται μάλιστα ἡλικίῃσι τῇσιν ἀπὸ ὀκτωκαίδεκα ἐτέων, μέχρι πέντε καὶ τριάκοντα.

Tabes ijs maximè ætatibus fit quæ à decimooctauo sunt ad tricesimumquintum.

Tabes, quæ exulcerati pulmonis comes est, à decimooctauo ad tricesimumquintũ, nẽpe in adolescentia & iuuentute maximè fit, nõ ætatis quidem ratione, sed propter errores quos ea in ætate constituti, in victus ratione cõmittunt, beligerant enim, saltant, currunt huius ætatis homines, venationẽ aliúdve genus laboris vel exercitii immoderati exercent, ob quæ venas rũpi accidit, vel quòd sanguis in his copiosus fit, & biliosus magna ex parte, qui sua acrimonia vasa erodens, sanguinis expuitionem & subinde tabem excitet.

APH. 10 ARGVM.

Tumores anginam efficientes nõnunquam

quam in pulmones decumbere, & intra septem dies mortem adferre.

Ὁκόσοισι κυνάγχη διαφεύγουσιν ἐς τὸν πνεύμονα τρέπεται, ἐν ἑπτὰ ἡμέρῃσιν ἀποθνήσκουσιν. ἢν δὲ ταύτας διαφύγωσιν, ἔμπυοι γίνονται.

Quibus ex angina in pulmonem mali fit conuersio, ij intra dies septem moriuntur: si vero hos effugerint, purulenti euadunt.

Quibus ex angina, quæ Cynanche Græcis dicitur. *fit cõuersio*, ob eius trāsmutationem, quippe materia quæ anginam creabat, ad pulmonem delabitur. *intra septem dies moriuntur*, pereũt, quia ab humoribus eò delatis suffocantur. *si vero hos effugerint*, dies septem. *purulenti euadunt*, nec moriuntur: humores enim qui in pulmones decubuerunt in pus mutantur & expuuntur, quod si subinde non repurgentur vt decet, tabidos fieri cõtingit.

APH. II ARGVM.

Duabus notis tabe correptos breui morituros.

Τοῖσιν ὑπὸ τῶν φθισίων ἐνοχλουμένοισιν, ἢν τὸ πτύσμα ὅπερ ἂν ἀποβήσσωσι βαρὺ ὄζῃ ἐπὶ τοὺς ἄνθρακας ἐπιχεόμενον, καὶ αἱ τρίχες ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ῥέωσι, θανάσιμον.

Qui tabe vexantur, si sputum quod extussiunt, carbonibus iniectum olet grauiter & capilli defluunt, perniciosum signum.

Qui tabe vexantur, macie, quæ pulmonis vlcera comitatur. *extussiunt*, tussiendo excreant & reiiciunt. *carbonibus iniectum olet grauiter*, quod extremam humorũ, qui sunt in pulmonibus putrefactionem, significat. *& capilli defluũt*, ex alimenti inopia. *perniciosum signum*, nam & humorũ corruptio, & maximus alimenti defectus ostenditur.

APH. 12 ARGVM.

Tabe quoque correptis alui profluuiũ superueniens, lætale signum.

Ὁκόσοισιν ὑπὸ φθισιάδος αἱ τρίχες ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ῥέωσιν, οὗτοι διαῤῥοίης ἐπιγενομένης ἀποθνήσκουσιν.

Quibus per tabem capilli defluunt, ijs fluxione alui superueniente in propinquo mors.

Quibus per tabem, ob pulmonis vlcera. *capilli defluunt*, è capite. *ijs fluxione alui superueniẽte in propinquo mors*, hoc enim facultatem nedum in ægrotis, sed & in sanis dissoluit atque deiicit: summam præterea naturalium facultatum imbecillitatem significat.

APH. 13 ARGVM.

Spumantem sanguinem tußiendo reiectum, è pulmone prouenire.

ὉΚόσοι αἷμα ἀφρῶδες ἀναπλύουσι, τουτέοισιν ἐκ τοῦ πνεύμονος ἡ τοιαύτη ἀναγωγὴ γίνεται.

Qui spumantem sanguinẽ extußiunt, ijs ex pulmone educitur.

Qui spumantem sanguinem, innumeras ampulas obtinentẽ, ita vt eius pars nulla sit, saltem notatu digna, intus & in superficie, quæ sine spuma reperiatur. *extußiunt*, & tussiendo excreant, quod fit pulmone vlcerato. *ex pulmone educitur*, vtpote qui illius substan-

tiam referat, quæ leuis, rara, aerea, spirituosa, & veluti ex spuma quadā sanguinis concreta conflatáque sit.

APH. 14 ARGVM.

Profluuium alui in tabe, etiam si solū sit, lætale esse.

Υπὸ φθίσιος ἐχομένῳ διάῤῥοια ἐπιγινομένη, θανατῶδες.

Si tabe detento profluuium alui superueniat, perniciosum.

Si tabe detento profluuium alui, nimirum diarrhoea. *superueniat, perniciosum*, magna enim virium imbecillitas significatur: non tamen è proximo neque tam cito mors superueniet, sicuti cum capillorum defluuium adiungitur.

APHOR. 15 ARGVM.

Quid suppuratione facta ægrotantibus accidat.

Ὁκόσοι ἐκ πλευρίτιδος ἔμπυοι γίνονται, ἢν ἀνακαθαρθῶσιν ἐν τεσσαράκοντα ἡμέρῃσιν ἀφ' ἧς ἂν ἡ ῥῆξις γένηται, παύονται

ται· ἢν δὲ μή, εἰς φθίσιν μεθίσανται.

Qui ex pleuritide empyi fiunt, si à ruptione empyematis intra dies quadraginta repurgentur, liberantur: alioqui trāseunt in tabem.

Qui ex pleuritide, ex morbo laterali. *empyi fiunt*, & intra thoracem & pulmonē pus continent. *si intra dies quadraginta*, quippe est terminus iudicationis acutorum morborum ex degeneratione, qualis est pleuritis in suppurationem abiens. *repurgentur*, per sputa, supputando à die quo fit ruptio. *liberantur*, à morbo: toto enim eo tēpore, nempe à die quo fit ruptio, vsq; ad quadragesimum, pulmonis substātia, illæsa & incorrupta remanere potest. *alioqui*, si non per sputa intra dies quadraginta repurgentur. *transeunt in tabem*, quòd pulmo diutius ab erosione tutus esse nequeat, quippe quum rarus sit, promptè in se recipit pus, à quo tandem eius substantia exulceratur, & fit tabes.

APH. 16 ARGVM.

Rerum omnium, earum etiam quæ temperatæ sunt, vsum immodicum noxium esse, calidi ipsius exemplo.

ΤΟ θερμὸν βλάπτει ταῦτα τοῖσι πλεονάκις χρεομένοισι, σαρκῶν ἐκθήλυνσιν, νεύρων ἀκρατείαν, γνώμης νάρκωσιν, αἱμοῤῥαγίας, λειποθυμίας ταῦτα οἷσι θάνατος.

Calidum frequentiore vsu hæc inuehit incommoda, carnis effœminationem, neruorum incontinentiam, animi torporem, profusiones sanguinis, animi deliquia: ad quæ quidem mors.

Calidum, corpus temperatum, aqua nimirum calida. *frequentiore vsu*, & immodico. *hæc inuehit incōmoda*, hæc mala & symptomata. *carnis effœminationem*, meliores nimirum viros atque adeò effœminatos reddit. *neruorum incontinentiam*, & imbecillitatem: suo enim calore neruorum substantiam dissoluit, humiditate verò, laxat molliorémque reddit, vnde minus robusti ac continentes redduntur. *animi torporem*, mentis seu rationis hebetudinem:

nem: nam immodicus calidi humidi temperati vſus cerebri ſubſtantiã diſſoluit. *profuſiones ſanguinis*, quòd ſuo calore venas laxet atque dilatet. *animi deliquia*, vt videre eſt in his qui in ſolio calido longiùs deſident, diſſoluuntur enim ſpiritus: hæc ſunt ſymptomata quæ ab immodico calidi temperati vſu oriuntur. *ad quæ quidem mors*, ſequitur, ad nonnulla quidem breui, ad alia vero longiori tempore.

APH. 17 ARGVM.

Detrimenta vſus immodici aquæ frigidæ recenſentur.

ΤΟ' δὲ ψυχρὸν σπασμοὺς, τετάνους, μελασμοὺς, καὶ ῥίγεα πυρετώδεα.

Frigidum vero conuulſiones, tetanos, nigrores, & rigores febriles adfert.

Frigidum vero, aqua nempe frigida, ſi quis ea immodicè vtatur, hæc mala adfert. *cõuulſiones*, quòd neruoſas corporis partes contrahat & diſtendat. *tetanos*, diſtentiones & ex plenitudine & ex ſiccitate: ex plenitudine quidem, quando meatuũ denſitatem facit qua

superflua excluduntur, vnde expirationem non inuenientia ad neruosas partes vertuntur, & tum distentiones à plenitudine fiunt. Ex siccitate verò, vbi siccũ & sine superfluitatibus corpus esse contigerit: frigidum enim penitus subiens corpus, etiam exsiccat, & per poros transiens exprimit in morem spongiæ. *nigrores*, frigidum efficit denigrationes, quia natiuum calorem extinguit. *rigores febriles*, qui febres excitant, non per se quidem sed ex accidente, nam occlusis corporis meatibus, putredinem, & subinde febrem excitari necesse est.

APHOR. 18 ARGVM.

Immodicus frigidæ aquæ vsus quibus partibus corporis maximè obsit.

TὸΘ ψυχρὸν πολέμιον ὀστέοισιν ὀδοῦσι, νεύροις, ἐγκεφάλῳ, νωτιαίῳ μυελῷ· τὸ δὲ θερμὸν ὠφέλιμον.

Frigidum inimicum ossibus, dentibus, neruis, cerebro, dorsali medullæ: *Calidũ verò amicum.*

Frigidum inimicum ossibus, vtpote

quæ sint ex semine procreata, atque adeò exanguia & frigida, vt mirũ non sit exiguũ eorum calorem ab immodico frigidæ vsu extingui. *dentibus*, quibus euidens sentiẽdi vis inest, cum reliqua omnia ossa sensu destituta nõ doleant, etiamsi pati quodammodo dicantur, vt ligna ab igne dum penitus in cinerem aguntur, & lapides dũ à malleis contunduntur, pati dicũtur. *neruis, cerebro*, & adiacentibus ei partibus. *dorsali medullæ*, & aliis eiusmodi partibus per excessum frigidis, & exiguum calorem natiuum obtinentibus, frigida aduersatur. *Calidum vero*, quod mediocritatem retinet. *amicum*, vtile, quòd exiguum prædictarũ partium calorem à corruptione conseruet & tueatur.

APHOR. 19 ARGVM.

Qua ratione sananda detrimenta quæ ab immodico frigidæ vsu procreantur.

OΚόσα κατέψυκται, ἐκθερμαίνειν δεῖ, πλὴν ὁκόσα αἱμοῤῥαγέει, ἢ μέλλει.

Quæ perfrigerata sunt excalfacere oportet, præter ea quæ sanguinem profundunt, aut breui sunt profusura.

Quæ perfrigerata sunt, ab immodico frigidæ vsu. *excalfacere oportet*, vt per contrarium ad suum ac natiuum temperamentum reducātur. *præter ea quæ sanguinem profundunt*, copiosè scilicet. *aut breui sunt profusura*, nam tum intemperie frigida neglecta, sanguinis eruptioni succurrendum, eámque primò curare oportet, vtpote à qua maius ægrotanti periculum quam à frigida intemperie immineat: postpositis itaque calefacientibus, frigidis & astringentibus vtendum ad copiosum sanguinis profluuium reprimendum.

APH. 20 ARGVM.

Mala quædam ab immodico frigidæ vsu, recenset.

Ἕλκεσι τὸ μὲν ψυχρὸν δακνῶδες, δέρμα περισκληρύνει, ὀδύνην ἀνεκπύητον ποιεῖ, μελασμοὺς, ῥίγεα πυρετώδεα, σπασμοὺς, καὶ τετάνους.

Frigi-

Frigidum vlceribus mordax, cutem obdurat, dolorem insuppurabilem facit, nigrorem inducit, rigores febriles, cõuulsiones, & tetanos creat.

Frigidum vlceribus, frigidáque aqua. *mordax*, non erodendo quidẽ id quod est continuum, sed potius diuellendo. *cutem obdurat*, substantiam eius densans & constringens. *dolorem insuppurabilem*, facit, eo quòd natiuum calorem qui suppurationis causa est, extinguat. *nigrorem inducit*, & denigrat. *rigores febriles, conuulsiones, & tetanos creat*, vt dictum est Aphoris. 17. huius sectionis.

APH. 21 ARGVM.

Quæ commoda interdum sequantur immodicum frigidæ aquæ vsum.

Ἔστι δὲ ὅκου ἐπὶ τετάνου ἄνευ ἕλκεος νέῳ εὐσάρκῳ θέρεος μέσου, ψυχροῦ πολλοῦ κατάχυσις ἐπανάκλησιν θέρμης ποιέεται. θέρμη δὲ ταῦτα ῥύεται.

Est tamen vbi in tetano sine vlcere, iuuene eusarco, æstate media frigidæ larga profusio calorem reuocat. Calor

vero soluit.

Est tamen vbi in tetano sine vlcere, quandoquidem quæ cum vlcere sunt conuulsiones, nunquam ab aqua frigida curari possunt. *iuuene eusarco,* bene carnoso & mediocri corporis habitu prædito. *æstate media,* & in meridie, alioqui nudum corpus ab ambientis frigiditate læditur alio tẽpore. *frigidæ larga,* multa & copiosa. *profusio calorem reuocat,* idque non per se, neque primo statim eius occursu, sed ex accidente, & mediante reuocatione caloris. Nam frigidæ aquæ affusio primũ cutem perfrigerat, refrigerationẽ verò cutis densitas & reditus caloris ad profundum consequitur: rursus cutis densitatem difflatus prohibitio, reditum verò caloris ad interiora concoctio, consumatióque eorum qui isthic sunt humorum sequitur: difflatus autem prohibitionem caloris collectio: tandem collectus vnitus, nutritúsque calor ad summa corporis violentius ruit, & fit eiusdẽ reuocatio. *calor verò,* primò & per se. *soluit,* sanat.

APH. 22 ARGVM.

Calidæ aquæ facultates enumerãtur, primum quæ raro, deinde quæ frequenter accidunt.

Τὸ θερμὸν ἐκπυητικὸν, οὐκ ἐπὶ παντὶ ἕλκει, μέγιστον σημεῖον ἐς ἀσφαλείην, δέρμα μαλάσσει, ἰσχναίνει, ἀνώδυνον, ῥιγέων, σπασμῶν, τετάνων παρηγορικόν. τὴν δὲ ἐν τῇ κεφαλῇ καρηβαρίην λύει. πλεῖστον δὲ διαφέρει ὀστέων κατήγμασι, μάλιστα δὲ τοῖσιν ἐψιλωμένοισι. τουτέων δὲ μάλιστα τοῖσιν ἐν κεφαλῇ ἕλκεα ἔχουσι, καὶ ὁκόσα ὑπὸ ψύχεος θνήσκει ἢ ἑλκοῦται. καὶ ἕρπησιν ἐσθιομένοισιν, ἕδρῃ, αἰδοίῳ, ὑστέρῃ, κύστει, τουτέοισι τὸ θερμὸν φίλιον καὶ κρῖνον. τὸ δὲ ψυχρὸν πολέμιον καὶ κτεῖνον.

Calidũ in quo ulcere pus mouet, *maximũ securitatis præstat indiciũ, cutem emollit, extenuat, dolorẽ lenit, rigorẽs, cõuulsiones, tetanos mitigat: capitis grauitatẽ soluit: ossiũ fractis plurimũ prodest, maximè si nudata sint, multoq; magis si in capite. His etiã prodest quæ moriuntur aut ulcerãtur à frigore.* Herpetibus *deniq; exedẽtibus, sedi, pudẽdo, utero, vesicæ, his omnibus calidũ amicũ & decretorium, frigidum inimicũ & interimẽs.*

Calidum, calidǽque aquæ fomentũ ſuppuratorium, pus videlicet alterans, & concoquens. *in quo vlcere*, nõ enim in omni, vt in pütridis vlceribus, & iis quæ fluxiones habent, calida aqua ſup purationem mouet, ſed illis plurimũ incommodat. *maximum ſecuritatis*, ſedat enim vlcera & ſanitatem inducit. *cutem emollit*, partéſque duras & tenſas, non alia ratione niſi quòd calida & humida ſit. *extenuat*, cutem craſ ſam & denſam. *dolorem lenit*, perinde atque alia omnia quæ primo ordine calefaciunt aut temperata ſunt. *rigores & mitigat*, quippe ſua calliditate diſcutit, extenuat, concoquit & alterat: Et ex his malis quæ ad caput attinent, quǽque in capite ſunt. *eius grauitatem ſoluit*, concoquens atque diſſoluens quæcunque à craſſa & vaporoſa materia in caput tracta moleſtant. *maximè ſi nudata ſint*, & carne exuta, quæ vehementius à frigida læduntur: caue bunt ob id ſibi plurimum à frigore, quibus capitis oſſa denudata ſunt. *multóque magis ſi in capite*, nam non oſſibus

bus tantum, sed ipsi etiam cerebro frigidum inimicum est, calidum contrà amicum. *his etiam prodest*, scilicet partibus. *quæ moriuntur à frigore*, quæ nimia perfrigeratione mortificantur, vt hyberno tempore calcanea, perniones, digiti & extrema omnia, quæ à calido sanantur. *herpetibus exedentibus*, repentibus totámque cutem exulcerantibus confert calida, quippe frigida vlceribus inimica, quia mordax. *sedi, pudendo, vtero, vesicæ*, quoniam hæ partes neruosæ sunt & frigidæ, & ob id callidum illis amicum & vtile. *decretorium*, viuificans. *frigidum inimicũ*, vt enim calidum suo calore temperato prædictarum partium calorem fouet, conseruat & tuetur, adeóque viuificat, sic contra frigidum calorem earundem partium extinguens, eas perimit & mortificat.

APHOR. 23 ARGVM.

Commoda & incommoda quæ aquæ frigidæ vsum sequuntur exprimuntur.

ΕΝ τουτέοισι δὲ δεῖ τῷ ψυχρῷ χρέεσθαι, ὁκόθεν αἱμοῤῥαγέει ἢ μέλλει, μὴ ἐπ' αὐτὰ, ἀλλὰ περὶ αὐτὰ ὁκόθεν ἐπιῤῥεῖ. καὶ ὁκόσαι φλεγμοναὶ ἢ ἐπιφλογίσματα ἐς τὸ ἐρυθρὸν καὶ ὕφαιμον ῥέποντα νεαρῷ αἵματι, ἐπὶ ταῦτα. ἐπεὶ τάγε παλαιὰ μελαίνει. καὶ ἐρυσιπέλας τὸ μὴ ἑλκούμενον ὠφελει. ἐπεὶ τόγε ἑλκούμενον βλάπτει.

Frigido vero in his vtendum, vnde fluit aut fluxurus sanguis est, non quidẽ eodem loci, sed ad ea loca vnde influit admoto: & si quæ partium inflammationes aut deflagrationes ad rubrum sanguineúmue colorem tendunt recenti efflorescente sanguine, iisdem ipsis adhibito. Nam inueteratas nigrefacit. Erysipelas etiam non vlceratum iuuat. siquidẽ exulceratum lædit.

Frigido verò, frigidáque aqua vtendum. *vnde fluit sanguis*, copiosè. *aut fluxurus est*, paulo pòst: frigida enim constringit, sanguinémque crassiorẽ, adeóque ad profluendum minus idoneum reddit. *non quidem eodem loci*, supra ipsas partes per quas fluit sanguis, frigida admota confert, quippe frigida vlceri-

vlceribus mordax. *sed ad ea loca vnde fluit*, vnde aliquid vlceribus influit. *& si quæ partium inflammationes*, modò suo tempore adhibeatur frigida, nimirum vbi corpus prius euacuatũ fuerit: adde frigidam non debere adhiberi vbi metus est ne ad principes corporis partes noxios humores propellat. *aut deflagrationes ad rubrũ &c.* his frigidum admouere conuenit, & quidem recentibus, vtpote quæ rubrum & floridum colorem præ se ferunt. *nam inueteratas nigre facit*, si admoueatur frigida, quòd à crassiore fiãt sanguine, quem subinde crassiorem frigida efficit, & in grumos conuertit, quos nigredo comitatur. *erysipelas etiam*, ignem sacrum nominatum. *non vlceratum iuuat*, frigida, quia sanguinis feruorem, & bilis acrimoniam, è quibus erysipelas procreatur, extinguit. *exulceratum lædit*, erysipelas scilicet; quòd illi mordax appareat.

APHOR. 24 ARGVM.

Admodum frigida incommoda multa

adferre, niuis & glaciei exemplo.

TA ψυχρὰ οἷον χιὼν, κρύσταλλος τῷ στήθει πολέμια, βηχέων κινητικὰ, αἱμορροϊκὰ, καὶ τὸ ῥροϊκά.

Frigida *veluti nix & glacies pectori inimica, tusses mouet, venarum ruptiones & destillationes efficiunt.*

Frigida, supramodum. *veluti nix & glacies*, aliáque eius generis valde frigida. *pectori inimica*, nam totũ pectus osseum est, qua ratione frigida aduersa esse constat. *tusses mouent*, per se primùm, quòd simplici qualitate sua instrumenta respirationi deseruientia refrigerent: deinde ex accidenti, quia destillationes mouent, quas subinde tussis insequitur, frigus enim instar manus apprehendens ac premens vt spongiam, cerebrum, eam humiditatem quæ in ipso est exprimit. *venarum ruptiones*, sanguinem promanare copiosè faciunt frigida, nam venarum corpora constringunt & contrahunt, frigiditatéque sua duras & extendi cõtumaces reddũt, ob id tunicas earun-

dem

dem rumpunt. *& destillationes*, excitant admodum frigida, & fluxiones ex compressione generant.

APH. 25 ARGVM.

Frigidam tumoribus & doloribus articulorum calidis, multum prodesse.

TA δὲ ἐν ἄρθροισιν οἰδήματα καὶ ἀλγήματα ἄτερ ἕλκεος, καὶ ποδαγρικὰ, καὶ σπάσματα, τουτέων τὰ πλεῖστα τὸ ψυχρὸν πολλὸν καταχεόμενον ῥηΐζει τε καὶ ἰσχναίνει, καὶ ὀδύνην λύει. Νάρκη γὰρ μετρίη ὀδύνης λυτική.

Articulorum tumores *&* dolores *absque vlcere atque etiam podagricos, & conuulsiones magna ex parte frigida largè effusa leuat & extenuat, soluitque dolorem.* Nam *modicus torpor doloris soluendi vim habet.*

Articulorum tumores & dolores, à flaua bile & sanguine bilioso factos. *absque vlcere*, cui frigidum inimicum & mordax est. *atque etiam podagricos*, à flaua quoque bile afflictos. *& conuulsiones*, sine vlcere *frigida largè effusa*, aliàs minimè. *leuat*, dolorem supra-

dictorum affectuum: quippe humorum feruorem extinguit, & morsum obtundit. *extenuat*, influentes humores reprimendo ac eosdem euacuãdo. *soluitque dolorem*, quia causas eorundem tollit, humores qui sua copia tensionem excitarunt reprimendo. *nam modicus*, & mediocris. *torpor*, stupor ve dolorem soluit: quòd mediocrem (qui sensum difficilem adfert) stuporem inducat.

APH. 26 ARGVM.

Optimæ aquæ indicia exprimuntur.

Ὕδωρ τὸ ταχέως θερμαινόμενον, καὶ ταχέως ψυχόμενον, κουφότατον.

Aqua quæ citò calefit & citò refrigeratur, leuissima.

Aqua quæ citò calefit, igni admota, aut aeri calido exposita. *& citò refrigeratur*, ab igne remota, aut aeri frigido exposita. *leuissima*, non pondere quidem, sed quòd pellucida, pura, atque adeò exquisitè colata; frustullorúmq; innatantium expers sit: ob id intus assumpta concoctu & distributu facilis,

celeri-

celeriter ventriculum & hypochondria permeat.

APH. 27 ARGVM.

Quo remedio siti noctu euenienti succurrendum.

ΟΚόσοισι δὲ πιεῖν ὀρέξιες νύκτωρ, τοῖσι πάνυ διψῶσιν ἢν ἐπικοιμηθῶσιν, ἀγαθόν.

Quibus noctu bibendi est auiditas, ijs admodum sitientibus obdormiscere bono est,

Quibus noctu, interdiu enim vigilãtibus sitim immodicam potu extinguere licet. *bibendi auiditas*, ob humoris defectum, & partiũ quæ iuxta ventriculum sunt siccitatem: atque adeò propter salsos aut biliosos humores in ore ventriculi contentos: denique qui à nimio meracioris vini potu bibere appetunt. *obdormiscere bono est*, nam ingesti in ventriculũ cibi & potus, atque adeò humores sitim excitãtes per somnum concoquuntur, cibis concoctis sanguis generatur, qui partes corporis nutrit & humectat, & sitim excitatam restinguit.

APHOR. 28 ARGVM.

Qua ratione mulieribus euocanda menstrua.

Γυναικείων ἀγωγὸν ἡ ἐν ἀρώμασι πυρίη. πολλαχοῦ δὲ καὶ εἰς ἄλλα χρησίμη ἂν ἦν, εἰ μὴ καρηβαρίας ἐνεποίει.

Suffitus aromatum muliebria educit. Ad alia vero multa vtilis esset, nisi capitis ingeneraret grauitatem.

Suffitus aromatum, & ex odoramentis. *muliebria ducit*, purgationes menstruas, quæ ex vtero statis mensibus & à partu fiunt: nec tamen omnes suppressiones menstruæ odoramentorũ suffitu amolliuntur, sed quæ duntaxat vel propter sanguinis crassitudinem, vel propter obstructionem vasorum, quæ ad vterum pertinent, vel propter horum obseruationem, vel propter densationem totius substantiæ, fiunt: sua enim vi aromatum suffitus extrema vasorum obserata aperit, humorũ crassitudinem extenuat, & obstructiones incidendo recludit. *ad alia vero multa vtilis*, suffitus per odoramenta factus, vtpote ad omnia frigida & humida

mida corporis, vteri præsertim, mala. *nisi capitis ingeneraret grauitatē*, quippe suffitus vapores, vt tenuiores, ad caput feruntur, idque complentes, grauitatem eiusdem efficiunt.

APHOR. 29

ΤΆς κυούσας φαρμακεύειν ἢν ὀργᾷ τετράμηνα, καὶ ἄχρι ἑπτὰ μηνῶν ἧσσον. τὰ δὲ νήπια καὶ πρεσβύτερα εὐλαβέεσθαι.

Prægnātes *purgabis, si materia ad sui excretionem inuitet, quadrimestres, & vsque ad septimum mensem, sed has minus. Minore vero aut grandiore fœtu, abstinebis.*

Prægnantes *purgabis &c.* Hic aphorismus copiosissimè expositus est initio libri quarti, quare noua explanatione non eget.

APHOR. 30 ARGVM.

Grauidis mulieribus sanguis haud mittendus.

ΓΥνὴ ἐν γαστρὶ ἔχουσα φλεβοτομηθεῖσα ἐκτιτρώσκει, καὶ μᾶλλον εἰ μεῖζον εἴη τὸ ἔμβρυον.

Mulier in vtero ferens secta vena ab-

ortit, eóque magis si sit fœtus grandior.

Mulier in vtero ferens, fœtum, non autem carnis molem, aut aliud quippiam. *secta vena abortit*, quippe mirũ non est post integram & effatu dignã, & temporibus Hippocratis celebrari solitã venæ sectionem, fœtui alimentum substrahi, adeóque ex illius subinde defectu perire. *eóque magis*, id accidit. *si fœtus sit grandior*, quanto enim is maior est, tanto plus alimenti indiget. Cæterùm si ad consuetas nostri temporis venæ sectiones (quæ antiquis collatæ ne scarificationis quidem nomen merentur) respexerimus, non est dubium quin citra periculum iis in grauidis vti liceat: modo virtus, ætas, corporis habitus, victus ratio quæ præcessit, tempus, cœlique status hoc ipsum permittant.

APH. 31 ARGVM.

Mulierem grauidam acuto morbo facilè consumi.

Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ ὑπό τινος τῶν ὀξέων νοσημάτων ληφθῆναι, θανάσιμον.

Mulierem

Mulierem grauidam morbo quopiam acuto corripi, perniciosum.

Morbo acuto, citam terminationem, & sæuissima symptomata habēte. *perniciosum*, certè periculosum, vbi præsertim vires in grauidis inualidæ sunt: quippe tum necesse est, vel fœtam alimento, vel fœtum inedia confici. quapropter ei indicationi quæ à morbo sumitur acuto potius inseruiendum, quàm ei quæ à fœtu: præstat enim tenuiore victu seruare fœtam, vtcunque inde fœtui periculum immineat, quā pleniore & matrem & fœtum interimere.

APH. 32 ARGVM.

Qua ratione sanguinis vomitus ex suppreßis menstruis proueniens, sit sanādus.

Γυναικὶ αἷμα ἐμεούσῃ, τῶν καταμηνίων ῥαγέντων λύσις γίνεται.

Mulieri sanguinem euomenti, menstruis erumpentibus solutio fit.

Mulieri sanguinē euomenti, ob mensium suppreßionē. *menstruis erūpentibus*, quæ prius sistebāt. *solutio fit*, mali

ſcilicet: ſanguis enim qui ad ſuperiora tendebat, ad inferna retrahitur, & per vterum vacuatur, fitque ſolutio vomitus illius, quòd ſi naturæ lege id fieri non poſſit, medico procurandum per ſectionem venæ quæ in cruribus eſt, poplitis dicta aut malleolorum.

APHOR. 33 ARGVM.

Suppreſſionem menſium factam ob affectum aliquem præter naturam ſanari profluuio ſanguinis è naribus.

Γυναικὶ τῶν καταμηνίων ἐκλιπόντων, αἷμα ἐκ τῶν ῥινῶν ῥυῆναι, ἀγαθόν.

Mulieri mẽſtruis præter naturam deficientibus, ſanguis è naribus profluens bono eſt.

Mulieri menſtruis præter naturã deficientibus, ob affectum aliquem præter naturam. *ſanguis è naribus*, vt loco conuenienti & commodo. *bono eſt*, iſta enim ratione retractio ad ſuperiora, ſimul etiã vacuatio ſanguinis præter naturam retenti, fit, quod naturæ opus per omnia medico imitandum.

Aphor.

APH. 34 ARGVM.

Siue modo fusam aluum mulieri grauidæ, partum elidere.

Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ ἢν ἡ κοιλίη πολλὰ ῥυῇ, κίνδυνος ἐκτρῶσαι.

Mulieri vterum gerenti si aluus multum fluat, periculum est ne abortiat.

Mulieri vterum gerenti, grauidæ. *si aluus multum fluat*, exiguum enim profluuiũ parum aut nihil nocet. *periculum est ne abortiat*, quippe tum cibus ad iecur aliásque corporis partes non distribuitur, vnde necesse est vt vires labefactentur, corpúsque extenuetur, & fœtui alimentum, perinde atque per venæ sectionem, subtrahatur.

APHOR. 35 ARGVM.

Sternutationem sponte prouenientem mulieribus vteri strangulatione laborantibus, aut ægrè parientibus, bonam esse.

Γυναικὶ ὑπὸ ὑστερικῶν ἐνοχλουμένῃ ἢ δυστοκούσῃ πταρμὸς ἐπιγενόμενος, ἀγαθόν.

Mulieri hystericæ, aut difficulter parieti sternutamentũ superueniens bonũ.

Mulieri hystericæ, vteri strãgulationibus & suffocationibus obnoxia. *aut diff.culter parienti*, ob expultricis facultatis impotentiam. *sternutamentũ bonum*, tanquam signum & causa: signum quidem bonum, quòd natura prius emortua, propriarum emotionũ meminisse videatur, excitari quoque ac reuiuiscere quando superflua deturbat: causa verò bona est, quia vehementi cõcussu & iactatione partim naturam excitat, partim superflua corporis multum inhærentia excernit.

APHOR. 36 ARGVM.

Qua ratione medendum mulieribus quibus decolores menses, nec eodem semper tempore profluunt.

Γυναιξὶ τὰ καταμήνια ἄχροα καὶ μὴ κατὰ τὰ αὐτὰ αἰεὶ γινόμενα, καθάρσιος δεῖσθαι σημαίνει.

Mulieri menses decolores, nec eodem semper modo & tempore prodeuntes, purgationem indicant esse necessariam.

Mulieri

Mulieri menſes decolores, nimirum colori ſanguinis, qui ruber ac floridus eſt, non reſpondentes: id quod accidit vbi naturalem colorem non præ ſe ferunt, ſed potius varium & diuerſum. *nec eodem tẽpore prodeuntes*, per quod antea conſueuerant fluere, verum nũc tardius nunc citius. *purgationem indicant neceſſariã*, humorum ſcilicet decolores menſes facientium, vt vitioſorum & ſuperabundantium.

APH. 37 ARGVN.

Grauidarum mammas tenues repentè factas, abortum portendere.

Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ ἢν οἱ μασθοὶ ἐξαίφνης ἰσχνοὶ γένωνται, ἐκτιτρώσκει.

Si mulieri vterum ferenti mammæ *ſubitò extenuentur, abortus ſequitur.*

Si mulieri & extenuentur, tenues & graciles fiãt repentè, abſque vlla cauſa manifeſta, nullóque præcedente ſymptomate. *abortus ſequitur*, fœtũ ſiquidẽ tunc validum eſſe exiſtimare oportet, alimentũ verò nõ habere copioſum,

propterea calcitrat, mouetur, & loco ſtare neſcit, tandémq; ligamenta, quibus ligatur, perfringit omnifariam ei deficiente alimento.

APH. 38 ARGVM.

Ex mammarum attenuatione, grauidam gemellos ferentem, alterum per abortum amiſſuram, indicari.

Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ ἢν ὁ ἕτερος μαζὸς ἰσχνὸς γένηται δίδυμα ἐχούσῃ, θάτερον ἐκτιτρώσκει. καὶ ἢν μὲν ὁ δεξιὸς ἰσχνὸς γένηται, τὸ ἄρσεν, ἢν δὲ ὁ ἀριστερὸς, τὸ θῆλυ.

Mulieri *geminos ferenti ſi altera mãma extenuetur, alterum abortu edit:* Et *ſi quidẽ dextra mamma extenuata eſt, marem: ſi verò ſiniſtra, fœminam abortione excludit.*

Mulieri geminos & alterum abortu edit, eum ſcilicet qui in vteri parte cõtinetur, quæ mammæ extenuatæ è directo reſpondet, idque propter alimẽti inopiam fit. *& ſi quidem dextra & marem,* quippe fœtus qui mares ſunt dextra vteri parte continentur. *ſi verò ſiniſtra,* mamma extenuetur. *fœminã,*

propter inopiam alimenti, quippe, vt dictum est, fœtus fame excruciati calcitrant, appendices & ligamenta dilacerant, atque hac ratione mulier abortit.

APH. 39 ARGVM.

Fieri posse vt mulier quæ neque grauida neque puerpera sit lac habeat ob suppressa menstrua.

Ην γυνὴ μὴ κύουσα, μηδὲ τετοκῦια γάλα ἔχῃ, ταύτῃ τὰ καταμήνια ἐκλέλοιπε.

Si quæ nec prægnans nec puerpera est lac habet, ei menstrua defecerunt.

Si quæ nec prægnãs & menstrua defecerunt, retentis enim mensibus venæ quæ inter mammas & vterum sunt implentur, sanguisque qui per vterũ singulis mensibus vacuari deberet ad mammas trãsmittitur, ac subinde per adenas qui illic sunt in lac transmutatur.

APH. 40 ARGVM.

Copiosum sanguinem in mammis coa-

ceruatum furorem ſignificare.

Γυναιξὶν ὁκόσῃσιν ἐς τοὺς τιτθοὺς αἷμα συστρέφεται, μανίην σημαίνει.

Quibus in mammas ſanguis colligitur, furorem ſignificat.

Quibus in mammas ſanguis, prauus qui in lac conuerti, propter ſuam prauitatem, non poteſt. *colligitur*, & coaceruatur propter ſuppreſſos menſes. *furorem ſignificat*, quum enim bilioſiſſimus & feruentiſſimus ſit, in lac trãſmutari non poteſt, delabitur itaque per corpus vniuerſum, capútque potiſſimum petit, vt minimè mirum ſit eas mulieres quibus hoc accidit, in furorem agi, ſanguine enim bilioſo in caput delato fit furor & mania.

APH. 41 ARGVM.

Experimentum quo explorare licet num mulier grauida ſit nécne.

Γυναῖκα ἢν θέλῃς εἰδέναι εἰ κύει, ἐπὴν καθεύδειν μέλλῃ μελίκρητον διδόναι πιεῖν, κἢν μὲν στρόφος ἔχῃ περὶ τὴν γαστέρα, κύει, ἢν δὲ μὴ οὐ κύει.

Si ſcire velis an mulier conceperit, dormituræ aquam mulſam potui dato: & ſi ventris tormina patiatur, concepit: ſin minus, non concepit.

Si *ſcire velis an mulier conceperit*, ne temere medicamentũ exhibeas, quod abortum efficere poſſet, ſed tutò illud exhibeas. *dormituræ aquam*, vt nimirũ à potiones ſumptione quieſcere poſſit: quippe per quietem flatus non reſoluuntur, ſed per exercitia, vt quæ calorem natiuũ, flatus diſcutere potentem, augeant. *mulſam*, in cuius vſu minus eſt periculi quàm aliorum quæ flatulenta ſunt. *potui dato*, idque à cœna, quòd ſcilicet ab illa magis quieſcere liceat, quódque calor natiuus cibi alteratione & concoctione occupatus, flatus minus diſcutere & attenuare queat. *& ſi tormina patiatur*, mulier poſt mulſæ crudæ potionem, hæc enim ventrem & inteſtina flatibus implet. *concepit*, flatus enim excitati liberum exitum non habent, propter inteſtinorum quæ fit ab vtero compreſſionem, vterus enim

inter veſicam & rectum inteſtinum ſitus eſt, adeò vt recto inteſtino toti ferè incumbat. *ſin minus*, ſentiat grauida dolores à potione mulſæ. *non cōcepit*, propter contrarias rationes.

APHOR. 42 ARGVM.

Grauidæ colorem probum vel malum, indicare maſculum aut fœmellam geſtari.

Γυνὴ ἔγκυος εἰ μὲν ἄρρεν κύει, εὔχρους ἐστὶν, ἢν δὲ θῆλυ, δύσχρους.

Mulier grauida ſi marem gerit, coloratior eſt, ſi fœminam decolor.

Mulier grauida & coloratior eſt, propter fœtus caliditatem, eſt enim magna ex parte maſculus fœmina calidior: oportet autem hic mulierem ad ſeipſam & non ad alteram conferre. *ſi fœminam decolor*, quòd hæc, ipſa natura ſit frigidior.

APH. 43 ARGVM.

Eryſipelas progenitum in vtero grauidæ, periculoſum eſſe.

HN γυναικὶ κυούσῃ ἐρυσίπελας ἐν τῇ ὑστέρῃ γίγνηται, θανατῶδες.

Si prægnanti fiat in vtero erysipelas, perniciosum est.

Si *prægnanti & erysipelas*, tumor nimirum ex bilis & sanguinis calidi mixtura ortus, aut sanguine solo quidem sed feruido, & substantia tenuissimo. *perniciosum est*, quippe hoc ipsum erysipelas non febris tantùm acuta, sed & dolores & mordicationes vteri sequũtur, quæ singula non tantum fœtui, ob loci malè affecti vicinitatem, verũ etiam matri molesta sunt, nedum febris sola acuta, quæ fœtum magna ex parte interimit.

APH. 44 ARGVM.

Grauidas supramodum tenues, bimestres elidere fœtus.

Ὁκόσαι παρὰ φύσιν λεπταὶ ἐοῦσαι ἐν γαστρὶ ἔχουσιν, ἐκτιτρώσκουσι πρὶν ἢ παχυνθῆναι.

Quæ præter naturam tenues vterum gerunt, abortiunt donec habitiores eua-

ferint.

Quæ præter naturam,& ſupramodũ. *tenues*,à morbo,inedia,aut fame.*abortiunt*,ſecundo menſe. *donec habitiores euaſerint*,priuſquam cracefcant,& donec pinguiores reddantur, quod vniuerſum alimentum fœtui deſtinatum matri valde extenuatæ ſit impartiendũ: vnde fit vt interim fœtus alimento conuenienti priuatus corrumpatur & pereat.

APHOR. 45 ARGVM.

Grauidas mediocri corporis habitu præditas, etiam interdum abortire.

Ὁκόσαι δὲ μετρίως τὸ σῶμα ἔχουσαι ἐκτιτρώσκουσι δίμηνα καὶ τρίμηνα ἄτερ προφάσιος φανερῆς, ταύτῃσιν αἱ κοτυληδόνες μύξης μεσταί εἰσι, καὶ οὐ δύνανται κρατεῖν ὑπὸ τοῦ βάρους τὸ ἔμβρυον, ἀλλ' ἀπορρήγνυνται.

Quæ verò mediocriter corpuletæ abortum faciunt ſecundo menſe aut tertio ſine occaſione manifeſta, ijs cotyledones lentoris ſunt plenæ, nec præ pondere fætum continere poſſunt, ſed abruptæ decidit.

cidit.

Quæ vero mediocriter corpulentæ, vt sunt hæ quæ neque admodum tenues, neque plus iusto crassiores sunt. *abortum faciunt*, fœtum excutiunt. *secundo aut tertio*, atque adeò quarto. *mense*. à conceptione. *sine occasione manifesta*, vt ob vehementem febrem, aut alui profluuium aut sanguinis defluxum, iugentem clamorem, rabidam iram, vehementem saltum, erysipelas in vtero mentis tristitiam, victum parcum, aut alium quemuis affectum extrinsecus euenientem. *ijs cotyledones*, vteri acetabula, & venarum capita quæ ad vterum perueniũt. *lentoris sunt plenæ*, lenti & pituitosi humoris. *nec præpondere & decidit*, nam à pituitoso humore illo, acetabula laxa molliáque & imbecilla fiũt, ita vt mirũ non sit si fœtum iam grãdiusculum, & grauitatem nactum continere nequeant, sed planè rumpantur.

APH. 46 ARGVM.

Immodicè crassæ non concipere, nisi

ad mediocrem corporis habitum redeat.

ΟΚόσαι παρὰ φύσιν παχεῖαι ἐοῦσαι μὴ ξυλλαμβάνουσιν ἐν τῇ γαστρὶ, ταύτῃσι τὸ ἐπίπλοον τὸ στόμα τῶν ὑστερέων ἀποπιέζει, καὶ πρὶν ἢ λεπτὴν θῆναι, οὐ κύουσιν.

Quæ præter naturam crassæ non concipiunt, ijs Vteri os ab omento comprimitur. Itaque grauidari donec extenuetur nequeunt.

Quæ præter naturam, & immodicè *crassæ non concipiunt, ijs Vteri os*, infra vmbilicum & ad pubis ossa situm. *ab omento comprimitur*, sua mole, vnde fit vt semen viri in vterum muliebrem iniici non possit. *itaque grauidari, donec extenuentur nequeunt*, donec ad mediocritatem reducantur: sic enim tollitur cōpressio & angustia illa quæ ab omento & epiploo causabatur, & tunc concipere possunt.

APHOR. 47 ARGVM.

Suppurationem Vteri quæ in lateribus & iuxta coxas fit, Vtpote extrinsecus, curationem per emmota requirere.

HN ὑστέρη ἐν τῷ ἰσχίῳ ἐγκειμένη διαπυήσῃ, ἀνάγκη ἐμμοτον γίνεσθαι.

Si qua parte Vterus coxæ adiacet suppurauerit, emmotis medicamentis curetur necesse est.

Si qua parte Vterus coxæ adiacet, in coxam vergit, idque ad exteriora. *suppurauerit*, in pus transmutata fuerit eius inflammatio. *emmotis medicamentis curetur necesse est*, rupto obscessu, qui extra iuxta cutem attollitur, vel arte vel natura, ne videlicet medicamentum iniectum effluat: quum enim linamentis concerptis (quæ emmota voce Græca vocat) vlceris os clauditur, fieri non potest vt medicamenta effluant.

APHOR. 48 ARGVM.

Fœtus mares dextra Vteri parte, fœminas sinistra magis contineri.

EΜβρυα, τὰ μὲν ἄρσενα ἐν τοῖσι δεξιοῖσι, τὰ δὲ θήλεα ἐν τοῖσιν ἀριστεροῖσι μᾶλλον.

Mares dextra Vteri parte, fœminæ sinistra magis gestantur.

Mares, vtpote robustiores, biliosiores, & sanguine magis præditi. *dextra vteri parte*, vt calidiore & nutrimentum calidius habente, ob hepatis viciniam. *fœminæ*, frigidiores. *in sinistra*, vt frigidiore & nutrimentum frigidius habente.

APH. 49 ARGVM.

Sternutatorio medicamento naribus apposito secundam excuti.

ΕΣ ὑστερέων ἐκπτώσιας πταρμικὸν ἐπιπθεὶς ἐπιλαμβάνειν τοὺς μυκτῆρας καὶ τὸ στόμα.

Ad secundas deturbandas sternutatorio immisso nares & os manu oltura.

Ad secundas deturbandas, quas contingit interdum firmiter vtero adhærescere, fœtu excusso, quæ si diutius in vtero manserint putrescunt, & odoris grauitate caput complent, stomachũ euertunt, & alia grauia procreat symptomata. *sternutatorio*, medicamento. *immisso*, naribus. *nares & os manu obtura*, vt spiritus ad inferiora descendens, sternutamenti violentia & concussione,

cussione, secundam, cuius interuentu fœtus vtero nectebatur, deorsum ferri faciat.

APH. 50 ARGVM.

Qua ratione menstrua immoderatè promanantia, sistenda.

Γυναικὶ τὰ καταμήνια ἢν βούλῃ ἐπισχεῖν, σικύην ὡς μεγίστην πρὸς τοὺς τιτθοὺς πρόσβαλλε.

Mulieri si placet menstrua sistere, cucurbitulam quàm maximam ad mammas appone.

Mulieri si placet mēstrua sistere, propter immodicum eorum defluxum. *cucurbitam quàm maximam,* vt vehementer per communes venas sursum reuellat, tum quia magnam ignis copiam hæc suscipit, tum quia amplam loci latitudinem occupat. *ad mammas*, & sub ipsis mammis. *appone*, ea videlicet parte, qua venæ ad ipsas infernè ascendunt: ad mammas nequaquam affigendæ, quòd appositione læderentur, aut nimium trahendo inflammationem in his excitarent.

Oris vteri coarctationem, maximum conceptionis indicium.

OΚόσαι ἐν γαστρὶ ἔχουσι, τουτέων τὸ στόμα τῶν ὑστερέων συμμέμυκεν.

Quæ ventrem ferunt, ijs vteri os cõniuet.

Quæ ventrem & cõniuet, ob internum comprimitur atque ita coarctatur, vt ne specilli mucronem admittat, nisi ad superfœtationem recludi contingat, vt in se recipiat semen: atqui rarò admodum hoc, vt & superfœtatio ipsa accidit.

APHOR. 52 ARGVM.

Fœtus in vtero imbecillitatem aut robur, conyci è mammarum consistentia.

HΝ γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ γάλα πολὺ ἐκ τῶν μαζῶν ῥυῇ, ἀσθενὲς τὸ ἔμβρυον σημαίνει· ἢν δὲ στερεοὶ οἱ μασθοὶ ἔωσιν, ὑγιεινότερον τὸ ἔμβρυον σημαίνει.

Mulieri partum gerenti si lac è mammis copiosè fluat, fœtum imbecillum significat: Si verò firmæ solidæq́ mammæ fuerint, valentiorem conceptũ indicant.

Mulieri partum gerenti & fluat, adeóque laxæ flacidæve fuerint mammæ. *fœtum imbecillem significat*, nam præ imbecillitate lac attrahere & alterare pro sui alimento nõ potest: quare per communes venas sursum ad mammas fertur, & illic in lac conuersum plurimum effluit. *si verò firmæ*, vtpote neque admodum duræ ac impletæ, neque molles & laxæ. *valentiorē*, quippe tum satis alimenti fœtui accedit: reliquum verò sanguinis quo non eget fœtus, ad mammas defertur, vt illic in lac mutatum, statim à partu fœtui, vt inde alatur, præstò sit.

APH. 53 ARGVM.

Mulieribus abortientibus accidere vt mammæ extenuentur.

Ὁκόσαι διαφθείρειν μέλλουσι τὰ ἔμβρυα, ταύτῃσιν οἱ τιτθοὶ ἰσχνοὶ γίνονται. ἢν δὲ πάλιν σκληροὶ γίνωνται, ὀδύνη ἔσται ἢ ἐν τοῖσι τιτθοῖσιν, ἢ ἐν τοῖσιν ἰσχίοισιν, ἢ ἐν τοῖσιν ὀφθαλμοῖσιν, ἢ ἐν τοῖσι γούνασι, καὶ οὐ διαφθείρουσιν.

Quæ fœtum sunt perdituræ, ijs mam-

mæ extenuantur. Contrà verò duræ si fiant, dolor aut mammas, aut coxas, aut oculos, aut genua fatigabit, nec abortiunt.

Quæ fœtum sunt perdituræ, & abortum facturæ, septimo vel octauo mēse *ijs mammæ extenuantur*, ratione defectus alimenti: nam ex quacunque causa grauida obortiat, in vtero prius excitari dolorem necesse est: neque enim vteri os ad fœtus eiectionem citra dolorem aperitur, dolore itaque orto sanguis & spiritus ad vterum deferuntur, reliquis partibus (præsertim mammis quib⁹ cum vtero magna est communitas) relictis, vt per hæc duo veluti instrumenta quædam, expellatur quod infestat, quamobrem accidit vt mammæ, vtpote sanguine & spiritu destitutæ, subinde extenuentur.

APHOR. 54 ARGVM.

Os vteri coarctatum, durum apparere, phlegmonem præseferre.

ΟΚόσοισι τὸ σόμα τῶν ὑστερέων σκληρόν ἐστι, ταύτῃσιν ἀνάγκη τὸ σόμα τῶν ὑστερέων ξυμ-

ξυμμύειν.

Quibus os vteri durum est, ijs arctetur est necesse.

Quibus, mulieribus. *os vteri*, internum. *durum est*, & phlegmone laborat ad obstetricis tactum. *ijs arctetur est necesse*, ob phlegmonem aut durum aliquem tumorem, vt quibus molle est, conceptum præ se ferre necesse est.

APH. 55 ARGVM.

Grauidas febricitantes, & vehementer extenuatas, difficulter parere & cum periculo, aut abortire.

Ὁκόσαι ἐν γαστρὶ ἔχουσαι ὑπὸ πυρετῶν λαμβάνονται, καὶ ἰσχυρῶς ἰσχναίνονται, ἄνευ προφάσιος φανερῆς, τίκτουσι χαλεπῶς καὶ ἐπικινδύνως, ἢ ἐκτιτρώσκουσαι κινδυνεύουσιν.

Quæ gestantes vterum febribus corripiuntur, aut vehementer sine euidente causa extenuantur, eæ difficulter & cum periculo pariunt, aut abortientes periclitantur.

Quæ gestantes vterum febribus corripiuntur, vehemẽtibus, mediocribus, vtpote natis à vitiosis & putridis humoribus. *aut & extenuantur*, fortiter calefiunt & plus quam ratio postulat, sine occasione manifesta. *difficulter & cum periculo pariunt*, propter matris & infantis imbecillitatem. *aut abortientes periclitantur*, eo quòd febris vehementiam, & victus rationem tenuem fœtus ferre non potest: adde ꝙ medico non licet vitiosos humores, qui febrem excitarunt, per purgantia medicamenta euacuare, & ea grauidæ exhibere.

APH. 56 ARGVM.

Conuulsionem & animi defectum fluori muliebri succidentia, malum portendere.

Ἐπὶ ῥόῳ γυναικείῳ σπασμὸς καὶ λειποθυμίη ἢν ἐπιγένηται, κακόν.

Si muliebri profluuio conuulsio aut animi defectus superueniat, malo est.

Si muliebri profluuio, & vteri fluore, per quem vniuersum expurgatur corpus.

pus. *conuulſio aut & malo eſt*, tum ob immodicã & extremam corporis ſiccitatem, maximè neruoſarum partiũ, tum propter ſummam virium imbecillitatem, quæ immodicam hanc euacuationẽ magna ex parte aquoſam & ſeroſam, interdum etiam candidam aut pallidam, ſequitur.

APH. 57 ARGVM.

Ex *multitudine aut defectu menſtruorum morbos fieri.*

ΚΑταμηνίων γινομένων πλειόνων νοῦσοι ξυμβαίνουσι, καὶ μὴ γινομένων ἀπὸ τῆς ὑστέρης ξυμβαίνουσι νοῦσοι.

Menſtruis abundantibus morbi eueniunt, & ſubſidentibus accidunt ab vtero morbi.

Menſtruis abundantibus, ſi menſtrua plura fiant quàm naturæ mulieris cõueniat, nimirum ſi vltra conſuetum tempus purgationis copioſè effluant. *morbi eueniũt*, quòd ex immodica eorum vacuatione vniuerſum corpus refrigeretur, viréſque debilitentur, ex quo fit ſæpiſſimè hydrops. *& ſubſi-*

dentibus, si non fluant menstrua. *ab vtero morbi,* quòd nimirum progressu temporis excrementa in vtero aceruentur.

APHOR. 58 ARGVM.

Stillicidij vrinæ tres causas esse, & singultum sequi iecoris inflammationem.

Επὶ ἀρχῷ φλεγμαίνοντι καὶ ἐπὶ ὑστέρῃ φλεγμαινούσῃ, καὶ ἐπὶ νεφροῖσιν ἐμπύοισι στραγγουρίη ἐπιγίνεται. ἐπὶ ἥπατι φλεγμαίνοντι λύγξ ἐπιγίνεται.

Ad recti intestini & vteri inflammationem, purulentósq; renes accedit stranguria: iecore verò inflammatione laborante interuenit singultus.

Ad *recti intestini,* quod ordine ab infernis ascendendo primum est, priores inter intestina partes occupans, ac eorum velut origo. *& vteri,* eius ceruice vel anteriore parte. *inflammationem & accedit stranguria,* quòd iis duabus partibus maximus sit cum vesica connexus & consensus, vt vna earum malè affecta necesse sit etiam vesicam vexari: quare in earundem inflammationibus, vesica malè habet, eius enim

facultas

facultas retentrix dissoluitur, ceruix cõprimitur, vt necessario subinde paulatim & guttatim exeat: renibus purulentis idem accidit, nam purè per vesicam euacuato, & ad eam delato, sua acrimonia vesicã mordicat, atque hac ratione excretricem vesicæ facultatẽ assiduè irritans, vt guttatim vrinam excernat efficit. *iecore verò & singultus*, ob ventriculi consensum & neruorum cõmunicationem, quippe connexum est iecur ventriculo venarum commercio, & tunicæ extrinsecus ambientis, in quam neruus minimus à sexta cerebri coniugatione inseritur, per quem illi cum ventriculo est communitas: qui enim ad ventriculum perueniunt nerui ex sexta illa neruorum coniugatione nascuntur.

APHOR. 59 ARGVM.

Rationem adfert qua deprehendere licet, num mulier quæ non concipit, sua aut viri culpa, sterilis sit.

Γυνὴ ἢν μὴ λαμβάνῃ ἐν γαστρὶ, βούλῃ δὲ εἰδέναι εἰ λήψεται, περικαλύψας ἱματίοισ

θυμία κάτω. κἢν μὲν πορδύεσθαί σοι δοκέῃ ἡ ὀδμὴ διὰ τοῦ σώματος ἐς τὰς ῥῖνας καὶ ἐς τὸ στόμα, γίνωσκε ὅτι αὐτὴ οὐ δι' ἑαυτὴν ἄγονός ἐστιν.

Si mulier non concipit, & scire placet an sit conceptura, veste præligatam & vndique obuolutam subter suffito: ac si odor corpus peruadere videatur ad nares & os vsque, non sua culpa sterilem esse scito.

Si mulier non concipit, iustis nimirũ conceptionis causis præsentibus, vt sint mariti commercium ætásque legitima. *& scire placet an sit conceptura*, & nunquid ipsa, an vir tam longæ sterilitatis causa fuerit. *veste præligatam &*, pannis circuntectam & vndiquaque inuolutam. *subter suffito*, thure, myrrha, storace, & similibus, hoc aut cõsimili modo, vt infundibulum carbonibus quibus odoramenta iniecta sunt imponas, ita vt eius pars inferior carbonibus incumbat, superior autem, vtpote arctior, pudendo mulieris indatur. *ac si odor & non sua culpa sterile esse scito*, sed viri potius culpa:

nam

nam tum corpus videtur omni vitio humorum vacare, & vterus probè tẽperatus: quippe qui ſiccior aut frigidior, aut vitioſis humoribus infarctus eſſet, propter denſitatem ac frigiditatem, vitioſique humoris redundantiam, odor ad os & nares conſcendere non poſſet.

APH. 60 ARGVM.

Menſtrua immodicè promanãtia fœtum imbecillum ſignificare.

ΗΝ γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ αἱ καθάρσιες πορεύωνται, ἀδύνατον τὸ ἔμβρυον ὑγιαίνειν.

Si prægnanti purgationes menſtruæ curſum ſuum teneant, bene valere fœtum eſt impoßibile.

Si prægnanti & teneant, crebrò & copioſè. *bene valere fœtum impoßibile eſt*, quippe hac ratione illi ſuum detrahitur alimentum, ſiquidem ex neceſſario ſanguine alitur fœtus.

APH. 61. ARGVM.

Quomodo ex ſuppreßis menſibus præ-

gnantes deprahendere liceat.

ΗΝ γυναικὶ καθάρσιες μὴ πορεύωνται, μήτε φρίκης, μήτε πυρετοῦ ἐπιγινομένου, ἆσαι δὲ αὐτῇ προσπίπτωσιν, λογίζου ταύτην ἐν γαστρὶ ἔχειν.

Si mulieri purgationes non prodeant neque horrore neque febre superueniente, cibique fastidium accidat, prægnantem esse putato.

Si mulieri purgationes, menstruæ. *nō prodeant,* fluere desinant citra manifestam causam. *neque horrore neque febre superueniente,* quæ alioqui superueniunt si menses supprimātur, propter causam aliquam præter naturam manifestam vteri, aut corporis totius. *cibique fastidium accidat,* propter praua excrementa, quibus ventriculi tunicæ sunt imbutæ. *prægnantem esse putato,* iudica ipsam in vtero habere.

APH. 62 ARGVM.

Sterilitatis & fœcunditatis mulierū causa exprimuntur.

Ὁκόσαι

Ὁκόσαι ψυχρὰς καὶ πυκνὰς τὰς μήτρας ἔχουσι, οὐ κυΐσκουσι· καὶ ὁκόσαι καθύγρους ἔχουσι τὰς μήτρας, οὐ κυΐσκουσιν· ἀποσβέννυται γὰρ αὐταῖς ὁ γόνος· καὶ ὁκόσαι ξηρὰς μᾶλλον καὶ περικαεῖς· ἐνδείῃ γὰρ τῆς τροφῆς φθείρεται τὸ σπέρμα. ὁκόσαι δὲ ἐξ ἀμφοτέρων τὴν κρᾶσιν ἔχουσι σύμμετρον, αἱ τοιαῦται ἐπίτεκνοι γίνονται.

Quæ frigidos & densos locos habent, vtero non concipiunt. Et quæ præhumidos habent, grauidari nequeunt: extinguitur enim in ipsis genitura. Et quæ sicciores & æstuosos: nam alimẽti defectu semen corrumpitur. Quæ verò ex vtraque oppositione moderatã nactæ sunt locorũ temperationẽ, eæ fœcũditate valent.

Quæ frigidos & non concipiunt, quòd calorem seminis frigiditas vteri extinguit, aut certè adeò imminuit, vt ad conceptionem ineptum sit. *& quæ præhumidos*, atque ita lubricos ob immodicam humiditatem, vt semen continere possint. *extinguitur enim in ipsis genitura*, semen ipsum genitale obruitur & inundatur, perinde ac in cœnosa terra cerealia semina.

& quæ ſicciores & æſtuoſos, adurentes calidóſque vteros habent non concipiunt. *nam alimenti defectu ſemen corrumpitur*, perinde ac in ſabulo proiectum ſemen germinare non poteſt: adde immodicũ calorem vniuerſum corporis ſanguinẽ ita depaſci, vt nulla aut certè pauciſſima menſtrua habeãt hæ mulieres. *quæ verò ex vtraque oppoſitione*, calidi nimirum, frigidi, humidi & ſicci. *temperaturam*, modo & æqualitate inuicem reſpondentem. *eæ fœcunditate valent*, cõcipere poſſunt.

APH. 63 ARGVM.

In viris quoque infœcunditatis & ſterilitatis cauſæ exprimuntur.

ΠΑραπλησίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἀῤῥένων. ἢ γὰρ δι' ἀραιότητα τοῦ σώματος τὸ πνεῦμα ἔξω φέρεται, πρὸς τὸ μὴ παραπέμπειν τὸ σπέρμα, ἢ διὰ τὴν πυκνότητα τὸ ὑγρὸν οὐ διαχωρέει ἔξω, ἢ διὰ τὴν ψυχρότητα οὐκ ἐκπυρεῖται, ὥστε ἀθροίζεσθαι πρὸς τὸν τόπον τοῦτον, ἢ διὰ τὴν θερμασίην τὸ αὐτὸ τοῦτο γίνεται.

Par eſt de maribus ratio. Aut enim

propter corporis raritatem ſpiritus foras diſſipatur, ita vt genituram eiaculari nequeat: aut propter denſitatem humor foras non proſilit: aut propter frigiditatē non inceditur, vt eò loci coaceruari poſſit: aut propter caliditatem hoc idem ipſum vſu venit.

Par eſt de maribus ratio, ſterilitatis cauſæ in maſculis ſunt quatuor, vt in mulieribus, nempe ſiccitas, humiditas, caliditas, frigiditas. *aut enim & raritatem*, atque adeo ſiccitatem, quæ ipſam raritatem ſequitur. *ſpiritus foras diſſipatur*, difflatur exalátque. *ita vt genituram*, ſemen quo pauco abundant, raro corpore præditi, vtpote frigidiores & ſicciores temperatura. *eiaculari nequeant*, non tranſmutatur ad teſtes: ſi enim multum tranſpiret, neceſſe eſt corpus ſanguine, ex quo ſemen procreatur, minus abundare. *aut propter denſitatem*, craſſitudinem & leniorē. *humor*, humiditáſque à viris quorum corpora humida & pituitoſa ſunt. *foras non proſilit*, quòd horum ſemen, perinde atq; ſanguis ex quo procrea-

tum est, sit crassum ac lentum, ideóq; ad excernendum minus aptum. *aut propter frigiditatem non incenditur*, nō concalescit sanguis, nec concoquitur. *Vt eò loci coaceruari possit*, in vasis seminariis colligi: quippe si propter iecoris ac totius corporis frigiditatem sanguis non procreatur nec concoquitur, & ex eo subinde semen nasci non potest. *aut propter caliditatem &*, immodica enim caliditas sanguinem in corpore absumit & depascitur, quæ sterilitatis virorum causa esse potest.

APHOR. 64 ARGVM.

Commoda & incommoda ex potu lactis ad ægros prouenientia exprimuntur.

Γάλα διδόναι κεφαλαλγέουσι, κακόν. Κακὸν δὲ καὶ πυρεταίνουσι, καὶ οἷσιν ὑποχόνδρια μετέωρα διαβορβορύζοντα, καὶ τοῖσι διψώδεσι. Κακὸν δὲ καὶ οἷσι χολώδεες αἱ διαχωρήσιες καὶ ἐν τοῖσιν ὀξέσι πυρετοῖσιν ἐοῦσι, καὶ οἷσιν αἵματος πολλοῦ διαχώρησις γέγονεν. Ἁρμόζει δὲ τοῖσι φθινώδεσι μὴ λίην πολλῷ πυρέσσουσι διδόναι γάλα, καὶ ἐν πυρετοῖσι

μακροῖσι καὶ βληχροῖσι, μηδενὸς τῶν προειρημένων σημείων παρέοντος, παρὰ λόγον δὲ ἔκ τε τηκόσι.

Lac præbere capite dolentibus, febriculosis, & quibus hypochondria elata aut murmurātia, & siticulosis, malum: Malum item quibus biliosæ deiectiones, febres acutæ, & copiosa sanguinis vacuatio facta est. Conuenit vero tabidis non admodum valde febricitantibus, & febribus longis & languidis dum nullum ex suprà dictis signis adsit, & præter rationem extenuatis.

Lac præbere capite dolentibus, nam quum lac sit nidorosum, & facilè euaporet, caput petit & eius dolorem auget. *febriculosis*, nam plurimo calori adhibitum statim in nidorem abit: adde quòd in febricitantium ventriculo non concoquitur, sed potius corrūpitur, vnde febris augetur. *& quibus hypochondria elata aut murmurātia*, è quibus sonus alicuius flatus & spiritus exauditur, in his enim accessit lac. *& siticulosis*, nam sitim auget lac, quòd siticulosi vt plurimū bile abundēt,

in quam magna ex parte lac conuertitur, vnde sitis causa augetur. *malum item quibus biliosæ deiectiones*, exhaustum enim lac euaporat, & à causis calidis facilè in euaporationem deducitur. *& copiosa sanguinis vacuatio*, quia copioso sanguine euacuato, facultates naturales imbecillæ factæ sunt: exhibitum igitur lac propter suam crassitiem hanc cōcoquitur, sed in ipso corpore planè accessit. *conuenit verò tabidis*, quòd pus in pulmonibus existēs abstergat, & vlcera eius conglutinet, ægrósque nutriat, quòd si valde febricitent, lac illis non propinandum ob causas supradictas. *& febribus longis & languidis*, prodest lac, quippe si diuturnæ febres vehementes simul essent iis non conueniret. *dum nullum ex suprà dictis signis adsit*, vt si neque capitis dolor, neque elata hypochondria, &c. *& præter rationem extenuatis*, cōuenit lac, iis nimirum qui alia ex causa quàm pulmonis vlcere, sunt graciles & macilenti, illis enim lac bonum succum generans, abundè alimentum

suppe-

ſuppeditat, vt hectica febre laborantibus, qui diuturnis, fixis, firmis, & difficulter ſolubilibus febribus laborant: paruis etiam, nam remiſſæ eſſe apparẽt febres hecticæ, adeò vt qui iis corripiuntur ſe febrire negent.

APHOR. 65 ARGVM.

Quid boni vlcera in quibus tumores apparent, quid cõtra mali ea quæ tumore vacant ſequatur.

Ὁκόσοισιν οἰδήματα ἐφ᾽ ἕλκεσι φαίνεται, οὐ μάλα σπῶνται, οὐδὲ μαίνονται. τουτέων δὲ ἀφανισθέντων ἐξαίφνης, τοῖσι μὲν ὄπισθεν σπασμοὶ, τέτανοι, τοῖσι δὲ ἔμπροσθεν μανίαι, ὀδύναι πλευροῦ ὀξεῖαι, ἢ ἐμπύησις, ἢ δυσεντερίη ἢν ἐρυθρὰ ᾖ τὰ οἰδήματα.

Quibus ſunt cum vlceribus tumores conſpicui, ij non admodum conuelluntur, aut inſaniunt: Quibus verò repentè euanuerint, ſiquidem poſtica parte factũ ſit, conuulſiones & tetani accidunt: ſi verò à fronte, inſania, lateris dolor acutus, empyema & dyſenteria ſi rubicundi fuerint tumores.

Quibus ſunt cum vlceribus tumores,

in vlceribus apparent tumores. *non conuelluntur*, rarò incurrunt conuulsionem. *aut insaniunt*, quod noxii humores circa vlcera ipsa hæreant, nec ad neruosas partes aut cerebrum trāsmittantur. *quibus verò repentè euanuerint*, nimirum noxiis humoribus aliò translatis, sine aliquo medicamento quod discutiēdi facultatem obtineat, aut sine sanguinis excretione. *siquidē postica parte*, vlcera habentibus. *conuulsiones & tetani accidūt*, vtpote materia trāslata ad internum genus neruosum, aut ad dorsales musculos, quos implens conuulsiones & distentiones adfert. *si verò à fronte*, & in anterioribus partibus fiunt vlcera, tum accidūt. *insaniæ*, nam quum anteriores partes venis & arteriis magis abūdent, promptè per has ad caput noxia transmittūtur, ita vt tum insaniam & furorem sequi minimè mirum sit. *lateris dolor*, accidit, si noxii humores ad thoracem transferuntur, fit enim promptè succingentis membranæ costas inflammatio. *empyema*, si humores illi noxii

non

non discutiuntur, sed in vacuum spatium thoracis, & pulmonis intermedium effundantur. *& dysenteria*, non ea quæ intestinorum est exulceratio, & quæ fit ex biliosis & acribus humoribus, sed quæ sanguinis colorem præ se fert. *si rubicundi fuerint*, & sanguinis aut pomi rubri referant colorem.

APH. 66 ARGVM.

Vulnera in quibus nullus apparet tumor damnantur.

ΗΝ τραυμάτων ἰσχυρῶν ἐόντων καὶ πονηρῶν οἰδήματα μὴ φαίνηται, μέγα κακόν.

Si magnis vulneribus & prauis tumor non appareat, ingens malum.

Si magnis vulneribus, effatu dignā magnitudinem habētibus. *& prauis*, nimirum in capitibus aut finibus musculorum & maximè neruosorum existentibus. *tumor non appareat ingens malum*, quippe iudicium est humores noxios ad principes partes trāsmitti, qui tamen, propter dolorem quem praua & magna vulnera sequi par est, ad vulnera ipsa potius confluere de-

beret, dolor enim attrahit, & fluxiones concitat.

APH. 67 ARGVM.

Quales tumores in vlceribus boni ſint, quales item mali.

ΤΑ' χαῦνα χρηστὰ, τὰ ἔνωμα κακά.
Incontenta bona, contēta verò & cruda mala.

I*ncontenta*, cedentia, & tumores renitentibus & duris contrarii. *bona*, boni cenſentur tales tumores, eò quòd concoctionem ſignificant. *contenta*, dura & renitētia vulnera, & tactui reſiſtentia, aut cum talibus tumoribus cōiuncta. *mala*, quia cruditatem iudicant & præ ſe ferunt.

APHOR. 68 ARGVM.

Qua via dolor in poſteriore capitis parte natus, ſit ſanandus.

ΤΑ' ὄπισθεν τῆς κεφαλῆς ὀδυνωμένῳ, ἡ ἐν μετώπῳ ὀρθὴ φλὲψ τμηθεῖσα, ὠφελέει.

E *parte capitis poſteriore laboranti, in frontem rectà excurrens vena inciſa*

prodest.

E *parte capitis posteriore laboranti,* primaria ratione, citra plethoram. *in fronte rectà excurrens vena,* quæ nimirum rectitudinem fibrarum ac filamentorum ei venæ quæ partem malè affectam nutrit respondet. *incisa prodest,* quòd auertendo simul vacuet materias.

APH. 69 ARGVM.

R*efrigerationes qua corporis parte tā viris quàm mulieribus incipiant.*

Ρίγεα ἄρχεται γυναιξὶ μὲν ἐξ ὀσφύος μᾶλλον, καὶ διὰ νώτου ἐς κεφαλήν. ἀνδράσι δὲ μᾶλλον ὄπισθεν ἢ ἔμπροσθεν τοῦ στόματος, οἷον ἀπό τε πηχέων καὶ μηρῶν. ἄταρ καὶ τὸ δέρμα ἀραιόν. δηλοῖ δὲ τοῦτο ἡ θρίξ.

R*igores incipiũt mulieribus ex lumbis magis & per dorsum perueniunt in caput: Sed & viris parte corporis posteriore magis quàm anteriore, veluti ex femoribus & cubitis. Indicio est cutis raritas, quam ipsam pilus ostendit.*

R*igores,* refrigerationes, quales sunt quæ vehementi gelu frigescentibus

accidunt. *incipiunt mulieribus*, temperatura corporis frigidiore præditis. *ex lumbis magis*, quòd is corporis locus ſit admodum neruoſus & frigidus. *& per dorſum*, partéſque poſteriores, vtpote neruoſiores, atque ad ſuſcipiendum & ſentiendum frigus promptiores. *perueniunt in caput*, aſcendunt caput. *ſed & viris &c.* refrigerationes inchoantur à parte poſteriore magis quàm anteriore, quia venis & arteriis abundant anteriores, & ob id calidiores ſunt. *veluti femoribus & cubitis*, partibus poſterioribus & exteriorib⁹. *indicio eſt cutis raritas*, quæ indicat anteriores partes eſſe poſterioribus calidiores earum enim raritatem ſequitur caliditas. *quam ipſam pilus oſtendit*, pilus demonſtrat anteriorum partium cutem eſſe raram, quanto enim denſior eſt cutis, tanto minus in ea pili naſcũtur: adde calidam temperiem hirſutam eſſe, contrà frigidã pilis nudã.

APHOR. 70 ARGVM.

Quartana prehẽſum nõ poſſe à mor-

bo co-

bo comitiali capi, & ab hoc malo correptum quartana superueniente librari.

ΟΙ ὑπὸ τεταρταίων ἁλισκόμενοι ὑπὸ σπασμοῦ οὐ πάνυ τι ἁλίσκονται. ἢν δὲ ἁλίσκωνται πρότερον, εἶτα ἐπιγένηται τεταρταῖος, παύονται.

Qui quartano corripiuntur, non admodum conuulsionibus tentantur: Si vero prius tentati fuerint, superueniente quartana, liberantur.

Qui quartana, febri. *non admodum*, neque omnino. *conuulsionibus tentantur*, præsertim iis quæ ex plenitudine partium neruosarum oriuntur, quas morbos comitiales appellamus. *Si verò prius tentati fuerint*, magno morbo & comitiali, proueniente ab humoribus lentis ac pituitosis neruosis partibus insertis. *liberantur*, tum per excretionem rigoris beneficio, hæc enim sola agitatio crassum excutit humorem: tum etiam per coctionem, caloris febrilis ratione, qui rigorem consequitur.

APH. 71 ARGVM.

Qui cum sudore, & contra qui citra

sudorem moriuntur.

Ὁκόσοισι δέρματα περιτείνεται καρφαλέα καὶ σκληρὰ, ἄνευ ἱδρώτων τελευτῶσιν. ὁκόσοισι δὲ χαλαρὰ καὶ ἀραιὰ, σὺν ἱδρῶτι τελευτῶσιν.

Quibus arida & dura cutis optenditur, sine sudore moriuntur: quibus verò laxa & rara, cum sudore vita defunguntur.

Quibus, morti proximis. *arida & dura cutis obtenditur & moriuntur*, quod scilicet ob febris vehementiam humiditas omnis exhausta sit. *quibus verò laxa & rara*, obtenditur cutis. *cum sudore vita defunguntur*, quòd cuti illi adhuc insit aliqua humiditas, quæ iam propter extremam retentricis facultatis imbecillitatem exit.

APH. 72 ARGVM.

Flaua bile abundantes non admodum abundare flatibus.

Οἱ ἰκτερώδεες οὐ πάνυ τι πνευματώδεές εἰσιν.

Auriginosi, non admodum ventosi.

Auriginosi, qui morbo regio laborant, & flaua bile abundant, quorum videlicet cutis pallidum biliosúmque colorem refert, & quorum partes ad ventriculum spectātes validæ admodum sunt, ita vt difficilia concoctu concoquant, propter acrem & mordacem, quo præditæ sunt calorem. *nō admodum ventosi*, & flatuosi, vehemēs enim calor partium prædictarum, eos quos cōplectitur cibos vincit ac cōficit, ideóque flatus nullos procreat.



APHORISMORVM HIPPOCR.

LIBER. VI.

ARGVMENTVM.

Sexta hæc sectio propemodum ad eam artis partem pertinet, quæ futura bona aut mala in morbis prædicit.

APHORISMI PRIMI ARGVMENTVM.

Quid acidus ructus diuturnis lienteriis succedens præ se ferat.

ΕΝ τῇσι χρονίῃσι λειεντερίῃσιν ὀξυρεγμίη ἐπιγινομένη μὴ γινομένη πρότερον, σημεῖον ἀγαθόν.

In diuturna læuitate intestinorum si ructus acidus superueniat qui prius non extiterit, bonum est signum.

In diuturna læuitate intestinorum, &

in lienteria. quæ ex ventriculi & intestinorum imbecillitate nascitur. *si ructus &c. non extiterit*, quique simul cũ intestinorum læuitate nõ incœperat, sed eam sequutus est. *bonum est signũ.* indicat enim calorem natiuũ qui antea prorsus languebat, nunc validiorem fieri, atque adeò cibum assumptũ in ventriculo aliquandiu contineri, tanto nimirũ tempore donec coctionis initium assumat, qui alioqui secũdum omnes suas qualitates talis permanebat, qualis fuerat assumptus, ob alteratricem ventriculi facultatem omnino abolitam.

APH. 2 ARGVM.

Humidiores natura, morbis magis obnoxios, quàm sicciores.

Οἶσι ῥῖνες ὑγρότεραι φύσει, καὶ ἡ γονὴ ὑγροτέρη, ὑγιαίνουσι νοσηρότερον. οἷσι δὲ τ' ἀναντία, ὑγιεινότερον.

Quibus nares humidiores natura, & genitura humidior, ij minus prospera valetudine fruuntur: Quibus vero hisce contraria adsunt, salubrius degunt.

Quibus nares natura humidiores, atque adeò cerebrum ipſum humidius, quod deprehendere licet vbi plurimũ muci & humiditatis è naribus defluxerit, idque natura, non ob externam aliquam cauſam. *& genitura humidior*, quin etiã vniuerſum corpus quibus humidius eſt, & totus ſanguis, à quo ſemen genitale procreatur, humidior & copioſior. *ij minus proſpera valetudine fruuntur*, ſed valetudinarii ſunt, & ex leui admodum occaſione qui natura ſunt humidiores, deſtillationibus corripiuntur, capitis grauitatem ferè ſemper ſentiunt, quæ ſubinde comitialem morbum inuehit: vniuerſi quoque corporis humiditas, febribus putridis & aliis morbis à putredine natis, obnoxia eſt. *quibus verò hiſce contraria adſunt*, nimirum qui cerebro totiũſque corporis temperatura ſicciore ſunt præditi. *ſalubrius degunt*, quòd cerebrum & corpus excrementis & ſuperfluis humiditatibus vacuum obtineant.

Aphor.

APH. 3 ARGVM.

Inapetentiam vna cum febre, in diuturnis dysenteriis, malum portendere.

ΕΝ τῇσι μακρῇσι δυσεντερίῃσιν αἱ ἀποσιτίαι κακὸν, καὶ σὺν πυρετῷ κάκιον.

In longis intestinorum difficultatibus cibi fastidium malum, & cum febre peius.

In longis intestinorum difficultatibus, nimirum dysenteriis ab acribus humoribus factis. *cibi fastidium malum*, portendit: nam mortificationem nutritoriæ facultatis, propter ventriculi consensum significat. *& cum febre*, appetentia deiecta. *peius*, portendit: significat enim putredinẽ & corruptionem circa exulcerationes esse, vel effatu dignam inflammationem, quæ etiam ventriculum ipsum perturbat.

APH. 4 ARGVM.

Vulnera in ambitu suo pilos non habentia mala esse.

TÀ περιμάδηρα ἕλκεα, κακοήθεα.
Circunglabra vlcera, maligna.

Circunglabra vlcera, vndiquaque pilis denudata. *maligna*, contumacia, rebellia sunt, & ad cicatricem difficulter perducuntur: prauus enim humor in profundo delitescens, pilorum radices depascitur, perinde atque e salsa terra herbas, nec locum exulceratum cicatrice obduci permittit.

APH. 5 ARGVM.

Dolore affectus locus, atque doloris magnitudo, diligenter consideranda.

TΩν ὀδυνέων καὶ ἐν πλευρῇσι, καὶ ἐν στήθεσι. καὶ ἐν τοῖσιν ἄλλοισιν, ἢν μέγα διαφέρωσι, καταμαθητέον.

Doloribus lateris, & pectoris, caterarúmque partium an ægri multum differant, discendum est.

Doloribus lateris & pectoris, quæ sūt partes vehemētissimos & periculosissimos dolores habentes. *caterarumq́, partium*, totius corporis. *si multū differant*, & præualeāt vehementésq; sint, *discendum est*, quippe ex loco statim

num

num dolor ipse sit periculum allaturus, aut periculo vacet, dignoscere est.

APH. 6 ARGVM.

Diuturnos morbos non posse absq; multo negotio sanari in senibus, renum & vesicæ exemplo.

ΤΑ νεφρικὰ καὶ ὁκόσα κατὰ τὴν κύστιν ἀλγήματα, ἐργωδῶς ὑγιάζεται τοῖσι πρεσβύτῃσι.

Renum & vesicæ vitia in senibus difficulter curantur.

Renum vitia, vt sunt lapis, vlceratio, & eiusmodi. *& vesicæ*, dolores siue vlcera & inflammationes. *in senibus*, vtpote annos quinquaginta natis. *difficulter curantur*, ob virium imbecillitatem: adde hæc vitia quietem postulare, renum autem vt vesicæ munus irrequietum & incessabile plurimum officit: præterea superfluitas, per eas partes vacuanda, acris est, dolores harum partium irritare apta.

APH. 7 ARGVM.

Dolores in profũdo corporis excitatos,

periculosiores his qui in superficie.

Τὰ ἀλγήματα τὰ κατὰ τὴν κοιλίην γινόμενα, τὰ μὲν μετέωρα, κουφότερα. τὰ δὲ μὴ μετέωρα, ἰσχυρότερα.

Dolores *ventris sublimes, leuiores: nō sublimes fortiores.*

Dolores, & tumores. *sublimes*, in superficie existentes, vt supra peritoneū, membranam tenuissimam omnibus intestinis & visceribus, quæ intra ventrem sunt, obductam & inuolutam. *leuiores*, sunt, quòd in partibus minus principalioribus fiant. *non sublimes*, dolores & tumores non externis excitati & supra peritoneū, sed infra & in profundo, vt in ventriculo, iecore, liene, & similibus, principatum aliquem obtinentibus partibus. *fortiores*, vehementiores, periculosioresq; sunt. Neque enim tam facilè vt illis qui in superficie corporis sunt, remedia adhiberi possunt.

APHOR. 8 ARGVM.

Anasarca laborantibus vlcera multo

negotio ſanari.

TOῖσιν ὑδρωπικοῖσι τὰ γινόμενα ἕλκεα ἐν τῷ σώματι, οὐ ῥηϊδίως ὑγιάζεται.

A qua inter cutem laborantibus exorta in corpore vlcera non facilè ſanantur.

A qua inter cutē laborantibus, & anaſarca, in qua totius corporis moles, ac vniuerſa caro ſpongiæ inſtar humida & laxa exiſtit. *Vlcera non facilè ſanantur*, propter immoderatam vniuerſi habitus corporis humiditatem, omne enim vlcus, qua vlcus eſt, ſiccari poſtulat.

APH. 9 ARGVM.

Lata exanthemata pruritum nō valde excitare.

TA πλατέα ἐξανθήματα οὐ πάνυ τι κνησμώδεα.

Latæ puſtulæ non admodum pruriginoſæ.

Latæ puſtulæ, ex frigidiore humore coortæ. *non admodū pruriginoſæ*, quòd in latitudinem extenſæ diffluentur, hu-

mórque has procreans acris non sit.

APH. 10 ARGVM.

Quibus rationibus capitis vehemens dolor soluatur.

ΚΕφαλὴν πονέοντι καὶ περιωδυνέοντι, πύον ἢ ὕδωρ ἢ αἷμα ῥυὲν κατὰ τὰς ῥῖνας, ἢ κατὰ τὸ στόμα, ἢ κατὰ τὰ ὦτα, λύει τὸ νούσημα.

Capite dolenti & vehementer laboranti, pus vel aqua, vel sanguis per nares, aut os, aut aures effluens morbum soluit.

Capite &c. pus, iam nimirum facta suppuratione effluens. *vel aqua*, quæ plerunque à capite defluit. *vel sanguis per &c. morbũ soluit*, per nares quidẽ sanguis profluens eum soluit dolorẽ, qui ex sanguinis multitudine excitatus fuerit: per os aqua effluens, dolores ex crudis natos humoribꝰ: per nares pus effluens, dolorem capitis a[illegible] inflammatione ortum sanat.

APH. 11 ARGVM.

Melancholicos & nephriticos iuuari ab hæmorrhoidibus succedentibus.

Τοῖσι μελαγχολικοῖσι καὶ τοῖσι νεφριτικοῖσι αἱμοῤῥοΐδες ἐπιγινόμεναι, ἀγαθόν.

Melancholicis & nephriticis hæmorrhoides superuenientes, bono sunt.

Melancholicis, atra bile vexatis, & in quibus humor melancholicus superabundat. *nephriticis*, renum passionibus, vt lapide, qui ab humore terreo & crasso procreatur. *hæmorrhoides superuenientes bono sunt*, quia prædicta mala sanant, nempe melancholiam & renum lapidem, nec tãtum sanant, quia euacuant, verùm etiam quia humorem educunt, à quo hæc mala procreantur.

APHOR. 12 ARGVM.

Qua ratione hæmorrhoides sanari cõueniat, vt nihil mali ad eum qui sanatus est perueniat.

Αἱμοῤῥοΐδας ἰηθέντι χρονίας, ἢν μὴ μία φυλαχθῇ, κίνδυνος ὕδρωπα ἐπιγενέσθαι, ἢ φθίσιν.

Diuturnas curanti hæmorrhoidas nisi vna quæpiam seruetur, periculũ aquæ intercutis, vel tabis impendet.

Diuturnas ſananti hæmorrhoidas, per artem. *niſi vna*, ex hæmorrhoidibus venis. *ſeruetur*, aperta, vt eã fœculentus & melancholicus humor, atque adeò corporis ſuperuacua alia expurgẽtur. *periculum aquæ inter cutem*, ob duritiem in iecore factã, poſt occluſam ſanguini melancholico viam: is enim retentus, multitudine & craſſitudine hepar ipſum grauans, calorem in ipſo natiuum extinguit, quo extincto ſanguinis fruſtratur generatio, & tunc fit aqua intercutem. *vel tabis*, copia nimirum humorum malignorum à iecore ad pulmonem propulſa.

APHOR. 13 ARGVM.

Singultum ex plenitudine natum ſternutatione ſanari.

ΥΠὸ λυγμοῦ ἐχομένῳ πταρμοὶ ἐπιγινόμενοι λύουσι τὸν λυγμόν.

Singultu fatigante, ſternutatio ſuperueniens liberat.

Singultu fatigante, ex plenitudine orto. *ſternutatio liberat*, tollit ſingultum, ſternutãdo enim non ſolùm cerebrum,

cerebrum, ſed & ventriculus, ob neruos ad eũ deriuatos, vehementer concutitur ac quaſſatur, humoréſque ſingultum excitantes vacuantur.

APH. 14 ARGVM.

Hydropis ſpeciem quæ anaſarca dicitur, plerunque per ſpontaneam vacuationem ſanari.

ΥΠὸ ὕδρωπος ἐχομένῳ πεὸ κτ͂ τὰς φλέβας ἐς τὴν κοιλίην ὕδατος ῥυέντος, λύσις.

Hydrope detento, ſi aqua è venis in ventrem confluxerit, ſoluitur morbus.

Hydrope detento, aqua intercutem, in qua nimirum venæ totius corporis aqua refertæ ſunt, quam ſubinde in vniuerſum corpus effundunt. *ſi aqua è venis in ventrem*, & inteſtina. *confluxerit*, per iecoris portas, eámque ſubinde per aluum natura, aut medicus naturæ miniſter, per purgantia medicamenta vacuauerit. *ſoluitur morbus*, in quo totius corporis moles, & vniuerſa caro, inſtar ſpongiæ madida & laxa apparebat, atque adeo totũ cor-

pus intumescebat.

APH. 15 ARGVM.

Diuturnum alui profluuium vomitu à natura facto sanari.

Ὑπὸ διαῤῥοίης ἐχομένῳ μακρῆς, ἀπὸ ταυτομάτου ἔμετος ἐπιγινόμενος λύει τὴν διαῤῥοίην.

Longo alui profluuio laboranti sponte vomitus superueniens, morbum soluit.

Longo alui &c. sponte, à natura. *vomitus superueniens morbum soluit*, ratione reuulsionis & retractionis humorum qui deorsum vergebant.

APH. 16 ARGVM.

Profluuium alui in pleuritide vehementi & peripneumonia superueniens, periculosum.

Ὑπὸ πλευρίτιδος ἢ ὑπὸ περιπνευμονίης ἐχομένῳ, διαῤῥοίη ἐπιγινομένη, κακόν.

Pleuritide aut peripneumonia detento diarrhœa interueniens, malum.

Pleuritide aut peripneumonia, vehementer affecto & vexato. *diarrhœa*, al-

ui profluuium.*malum*,quippe significat, tum iecur per consensum earum partium,quæ respirationi deseruiunt, ita affici,vt propter imbecillitatem ad se trahere alimentum & in sanguinem conuertere non possit.

APH. 17 ARGVM.

Qua ratione lippitudo commode curari posit,naturæ exemplo.

Ὀφθαλμιῶντα ὑπὸ διαῤῥοίης ληφθῆναι,ἀγαθόν. foes. ὀφθαλμιῶντι.

Ophthalmia laborantem alui profluuio corripi,bonum.

Ophthalmia laborãtem,&c.bonum, nam humores ophthalmiam aut lippitudinem efficientes , ad inferiora transferuntur , & subinde per aluum vacuantur.

APHOR. 18 ARGVM.

Partium quarundam vulnera magna & profunda,lætalia esse.

Κύστιν διακοπέντι, ἢ ἐγκέφαλον, ἢ καρδίην, ἢ φρένας, ἢ τῶν ἐντέρων τι τῶν λεπτῶν, ἢ κοιλίην, ἢ ἧπαρ, θανατῶδες.

Pertuſa perfectáue vesica, cerebro, corde, ſepto tranſuerſo, tenui quopiā inteſtino, ventriculo, iecore lætale eſt.

Perfuſa perfectáque veſica, & profundius vulnerata, lætale eſt ſignum. Nam vulnus quod ad eius interiora progreditur, coaleſcere nō poteſt, eſt enim veſica neruoſa, tenuis, & exanguis. *cerebro*, profundè & ad ventriculos vſque vulnerato: lætale eſt, ſaltem omnes in eo ſenſus ita læduntur, vt ſi ſuperuixerit, ſtupidus ferè reddatur vulneratus. *corde*, cordis enim vulnera inſanabilia ſunt propter aſſiduum motum, & quòd ſit ſpirituum & vitalis caloris fons & origo. *ſepto tranſuerſo*, quod diaphragma dicitur, nam ſi vulneretur coaleſcere nequit, propter aſſiduum motum, adeóque mortem acceſſit. *tenui quopiam inteſtino*, hic enim exanguis eſt, vnde ſi vulneratur coaleſcere non poteſt. *ventriculo*, cibus enim & potio per vulnus exeunt, præcordia indureſcunt, & bilis ferè ſemper per os reiicitur. *iecore*, nam huius vulnera plurimo ſanguinē manant,

manãt, itaque prius ita vulnerati moriuntur, quàm vulnera agglutinari possint: & potissimum quæ in porta eius fiunt vulnera, ea enim parte venarum est multitudo.

APHOR. 19 ARGVM.

Quæ corporis partes præcisæ neque augescant, neque coalescant.

Ἐπὴν διακοπῇ ὀστέον, ἢ χόνδρος, ἢ νεῦρον, ἢ γνάθου τὸ λεπτὸν, ἢ ἀκροποσθίη, οὔτε αὔξεται, οὔτε ξυμφύεται.

P*erfectum os, aut cartilago, aut neruus, aut genæ tenuis particula, aut præputium neque augetur, neque coalescit.*

Perfectum os, neque augetur neque coalescit, quòd frigidũ, siccum, & durum sit: puerorum quidem ossa coalescere possunt, quòd mollia adhuc sint. *aut cartilago*, præcisa coalescit, ob rationem supradictam. *vel neruus & vel præputium*, omnes particulæ ex semine natæ. *neque augetur neque coalescit*, ob largæ enim materiæ penuriam supradictæ partes non renascuntur, tantum enim nullibi aceruatim

contentum semen reperias, quanto vnumquodque eorum quæ deperdita sunt, ad instaurationem indiget.

APH. 20 ARGVM.

Sanguinem à propria cauitate in aliã transfusum, corrumpi.

ἨΝ ἐς τὴν κοιλίην αἷμα χυθῇ παρὰ φύσιν, ἀνάγκη ἐκπυηθῆναι.

Si in ventrem sanguis præter naturã effusus fuerit, is suppuretur est necesse.

Si in ventrem, aut aliam quanuis cauitatem. *sanguis præter naturam fusus fuerit*, à propria cauitate, venis scilicet & arteriis. *is suppuretur est necesse*, & corrumpi, vel nigrescere, vel liuescere, vel in grumos verti.

APHOR. 21 ARGVM.

Insaniam ab atra bile factam successu varicum vel hæmorrhoidum solui.

Ἡ Οῖσι μαινομένοισι κιρσῶν ἢ αἱμορροΐδων ἐπιγινομένων, τῆς μανίης λύσις.

Insanis si varices, vel hæmorroides superuenerint, insaniæ solutio.

Insa-

Insanis, ab atra bile. *si varices*, venæ latiores quæ in cruribus maximè visuntur. *vel hæmorrhoides*, & sanguinis profluuia ex hæmorrhoidibus. *insaniæ solutio*, pellente & deturbante natura in partes ignobiliores, humores melancholicos & crassos, qui insaniam efficiunt.

APHOR. 22 ARGVM.

Dolores à dorso in cubitũ delapsos ob ruptiones aliquas, secta basilica sedari.

Ὁκόσα ῥήγματα ἐκ τοῦ νώτου ἐς τοὺς ἀγκῶνας καταβαίνει, φλεβοτομίη λύει.

Ruptiones, quæ ex dorso ád cubitum descendunt, venæ sectio soluit. i. ad cubiti articulos.

Ruptiones, & ab his dolores quicunque prouenientes. *quæ ex dorso ad cubitum descendunt*, ruptione ipsa facta, *venæ sectio soluit*, nã materia illa, quæ dolorem faciebat, euacuatur.

APH. 23 ARGVM.

Metum & mœstitiam symptomata diu perseuerantia, melancholiam præ se ferre.

HN φόβος καὶ δυσθυμίη πολλῷ χρόνον διατελέῃ, μελαγχολικὸν τὸ τοιοῦτον.

Si metus atque mœstitia longo tempore perseuerent, melancholicum est signum.

Si metus, alicuius mali futuri. *atque mœstitia longo tempore perseuerent*, nec à causa externa & manifesta fiant, vt propter hostium incursum, vel parentum & amicorum mortem inopinatam, aut propter recens patratum flagitium. *melãcholicum est signum*, hinc ars prædicit, quòd affecto cerebro melancholicus fiet, nam melancholicus humor in ipsum fertur, ex quo spiritus turbantur, & variis motibus commouentur.

APH. 24 ARGVM.

Intestina tenuia profundè vulnerata non coalescere.

ENτέρων ἢν διακοπῇ τῶν λεπτῶν τι, οὐ ξυμφύεται.

Si quod gracile intestinum perfectum sit, non coalescit.

Si quod gracile intestinum &c. Hic Aphorismus supra expositus est, nimirum Aphorism.18. huius libri sexti.

APHOR. 25 ARGVM.

Bonum esse vt corporis omne malum à nobilioribus partibus, & ab interioribus, ad ignobiliores atque exteriores vertatur, erysipelatis exemplo.

Ερισίπελας ἔξωθεν μὲν εἴσω τρέπεσθαι, οὐκ ἀγαθόν. ἔσωθεν δὲ ἔξω, ἀγαθόν.

Erysipelas foris intrò conuerti, malũ: intus verò foras existere, bonum.

Erysipelas, & aliud quodcunque corporis malum: *foris*, ab exterioribus & ignobilioribus partibus. *intro conuerti*, ad interiora, vt ad partes principes & nobiliores. *malum*, quin vitæ periculum adfert: nam quicquid est illorum humorum à quibus erysipelas nascitur, ad partes principes, vt cor, iecur, cerebrum, propellitur & protruditur. *intus verò foras*, conuerti erysipelas & aliud quoduis malum interius effusum. *bonum*, euocatur enim ad superficiem cutis superfluus & malignus

humor.

APH. 26 ARGVM.

Delirium succedere ardentibus febribus, in quibus tremores fiunt.

Ὁκόσοισιν αὖ ἐν πυρετοῖσι καύσοισι τρόμοι γίνονται, παρακοπὴ λύει.

Quibus in febribus ardentibus tremores fiunt, delirio soluuntur.

Quibus in febribus ardentibus, quarum causa est intra vasa, *tremores fiunt*, translatis nimirum humoribus noxiis à venis ad neruos. *delirio soluuntur*, læso per consensum cerebro: hoc autem delirium non tantum prius malum non soluit, & hominem non liberat, sed eo etiam peius & periculosius existit: nam quæ succedunt morbis, eorúmque constitutionem non soluunt, hominem non prorsus liberant.

APH. 27 ARGVM.

Confertas euacuationes letales esse, exemplo suppuratorum & aqua inter cutem laborantium.

Ὁκόσοι

OΚόσοι ἔμπυοι ἢ ὑδρωπικοὶ καίονται ἢ τέμνονται, ἐκρυέντος τοῦ πύου καὶ τοῦ ὕδατος ἀθρόου, πάντως ἀπόλλυνται.

Quicunque empyi aut hydropici vruntur, aut secantur, si pus aut aqua vniuersim effluxerit, omnino moriuntur.

Quicunque empyi, suppurati, nimirum pus inter pulmonem & thoracẽ contentum habentes. *aut hydropici*, aquam intercutem patientes. *vruntur aut secantur*, vt Hippocratis tempore solenne erat. *si pus*, quod in thoracem proruperat. *aut aqua*, in ascite contenta. *vniuersim*, & confestim semélque tota. *effluxerit omnino moriũtur*, quippe vnà cũ humore spiritus vitalis vacuatur, atque adeò vires deficiunt & moriuntur.

APHOR. 28 ARGVM.

Hippocratis tẽpore eunuchos non fuisse caluos, non item podagricos.

EΥνοῦχοι οὐ ποδαγριῶσιν, οὐδὲ φαλακροὶ γίνονται.

Eunuchi podagra non laborant, nec calui fiunt.

Eunuchi, castrati, quib⁹ ante pubertatem membra virilia execta sunt, aut qui natura sine testibus geniti sunt. *podagra non laborant*, quòd otio prorsus non vtuntur, nec coitu immoderato, neruosas partes, præsertim articulos ac pedes, plurimū debilitante: & quod moderata victus ratione vtantur. *nec calui fiunt*, quādoquidem mulieribus similes sunt, & multam humiditatem redundantem obtinent, ad capillos assiduè fluentem, ex qua capilli nutriuntur & augentur.

APHOR. 29 ARGVM.

Mulieres Hippocratis ætate podagra non corripiebantur, nisi suppreßis menstruis.

Γυνὴ οὐ ποδαγριᾷ, ἢ μὴ τὰ καταμήνια αὐτέῃ ἐκλίπῃ.

Mulier podagra nō laborat, nisi ipsam menstrua defecerint.

Mulier, quæ moderata victus ratione vtitur, & sobriè viuit. *podagra non laborat*, neque affligitur. *nisi menstrua defecerint*, præter naturam, nam tum super-

ſuperuacua per vterum nō expurgantur, ſed ad partes imbecilliores & ignobiliores à natura detruduntur, & hinc fit podagra.

APHOR. 30 ARGVM.

Vſum venereorum plurimum momenti habere ad podagræ generationem, puerorum exemplo.

ΠΑῖς οὐ ποδαγριᾷ πρὸ τοῦ ἀφροδισιασμοῦ.

Puer podagra non laborat ante veneris vſum.

Puer podagra non laborat, nec articulari morbo tentatur. *ante vſum veneris*, neque enim pedes ac articulos imbecillos obtinent priuſquàm coeant, neque in ipſis cōcuſſio fit propter veneorum abſtinētiam: poſt verò veneris vſum podagra laborant, nam tum materiæ funduntur ratione concuſſionis, pedéſque læduntur, præſertim ſi ad patiendum ſint habiles.

APHOR. 31 ARGVM.

Quinque genera remediorum quibus

oculorum dolores curantur, exprimũtur.

Ὀδύνας ὀφθαλμῶν ἀκρητοποσίη, ἢ λουτρὸν, ἢ πυρίη, ἢ φαρμακείη λύει.

Oculorum dolores meri potio, aut balneum, aut fomentum, aut phlebotomia, aut purgatio ſoluit.

Oculorum dolores, aliquos. *meri potio ſoluit*, nimirum eos qui ex copia ſanguinis craſſioris, in venulis oculorum contenti, citra plenitudinẽ totius corporis, procreantur: In quibus enim ſanguis craſſus oculorum venulas intendit, citra plethoricum totius corporis affectum, vino fuluo, ſubſtantia tenui & ætate antiquo vtẽdum, quod calefaciat, vacuet, & obſtructiones tollat. *aut balneum*, alios oculorum dolores ſanat, eos nimirum qui ab acribus humoribus ad oculos fluentibus fiũt, citra corporis plenitudinem: hoc enim aquæ dulcis balneum, dolores mitigat, acres humores euocat atque contemperat. *aut fomentum*, vbi videlicet nihil confluit in oculos: tum enim quod in ipſis eſt ſuperuacuum diſcutiens, ſanitatem adfert. *aut phle-*

lotomia, aliis oculorum doloribus pro dest: ea verò initio vtendum, vbi plenitudine corpus vniuersum laboraue rit, atque adeo secanda humoralis vocata vena, & ea quæ secũdum rectum oculi malè affecti existit. *aut purgatio soluit*, alios oculorũ dolores, vbi præsertim malis succis refertum corpus fuerit, hoc autem pro redundantis hu moris qualitate seu specie variare cõuenit.

APH. 32 ARGVM.

Si balbi alui profluuio corripiuntur, longo potißimum capiuntur.

Τραυλοὶ ὑπὸ διαῤῥοίης μάλιστα ἁλίσκονται μακρῆς.

Balbi lõgo *alui profluuio maximè corripiuntur.*

Balbi, parum exquisitè loquentes, iusto humidius cerebrũ habentes naturâ. *alui profluuio*, si quando corripiũtur: vbi videlicet à cerebro humida illa excrementa deffluunt in ventriculum. *maximè capiuntur*, longo & diuturno profluuio.

APH. 33 ARGVM.

Acidum ructãtes raro pleuritide corripi.

OI ὀξυρεγμιώδεες οὐ πάνυ πλευριτικοὶ γίνονται.

Qui acidum ructant, non admodum pleuritici fiunt.

Qui acidum ructant, & acido ructu laborant, qui fit quando cibi à frigore aut à pituitosis humoribus in ventriculo, vẽtriculique amplitudine redundantibus, corrumpuntur. *non admodum pleuritici fiunt*, non valde morbo laterali corripiuntur, quòd naturâ sint pituitosi, lateralis autẽ dolor biliosos maximè inuadit.

APH. 34 ARGVM.

Capillorum defluuio laborãtibus magnas varices non fieri, aut si succedãt iis capillos denuò nasci.

ΟΚόσοι φαλακροὶ, τουτέοισι κιρσοὶ μεγάλοι οὐ γίνονται. ὁκόσοισι δὲ αὖ φαλακροῖσιν ἐοῦσι κιρσοὶ ἐπιγίνωνται, πάλιν οὗτοι γίνονται δασέες.

Qui calui sunt, iis varices magni non fiunt: quibus verò caluis existetibus varices superueniūt, ij rursus capillati fiūt.

Qui calui sunt, & capillorum defluuio laborant ob malū aliquod, veluti propter alopeciā aut ophiasim. *ijs varices magni non fiunt*, quòd tum vitiosi humores ad caput & non ad crura, ferantur. *quibus verò caluis*, & capillorum defluuio laborantibus, *varices superueniūt, ij rursus capillati fiunt*, nam vitiosi humores, qui antea radices capillorum corruperant, tunc ad crura transferuntur.

APHOR. 35 ARGVM.

Tussim ratione aquæ inter cutē prouenientem, malam esse.

Τοῖσιν ὑδρωπικοῖσι βὴξ ἐπιγινομένη, κακόν.

Hydropicis tußis si superueniat, malum.

Hydropicis, aqua intercutem laborantibus. *tußis si superueniat*, ratione quidem ipsius aquæ intercutem, non ratione distilationis cuiusdā à capite,

aut fumi aut pulueris. *malum*, quippe humorem aquosum ita adauctum significat, vt iam asperam arteriam occupet, atque adeò suffocationis periculum immineat.

APH. 36 ARGVM.

Difficultatem vrinæ ob inflammationem aut plenitudinem factam, venæ sectionem solui.

Δυσουρίην φλεβοτομίη λύει. τάμνειν δὲ τὰς εἴσω.

Difficultatem vrinæ phlebotomia soluit: secare verò interiores.

Difficultatem vrinæ, ab inflammatione aut plenitudine factam, sanguinis missio soluit. *secare verò interiores*, oportet, eam potissimum quæ in cruribus est poplitis nimirum vena, aut malleolorum, ea enim magis è directo est.

APH. 37 ARGVM.

Mala ad exteriora corporis conuerti bonum esse, exemplo anginæ.

Ὑπὸ κυνάγχης ἐχομένῳ οἴδημα γενέσθαι ἐν τῷ τραχήλῳ, ἀγαθόν. ἔξω γὰρ τρέ-

πεται

πτεται τὸ νούσημα.

Angina correpto si tumor appareat in collo, bonum: foras enim morbus existit.

Angina correpto, vehementiore. *si tumor appareat in collo*, & extra in ceruice, *bonum est*, ab internis enim ad externa humores noxii transferuntur.

APHOR. 38 ARGVM.

Occultos & in profundo corporis existentes cancros, non esse curandos.

Ὁκόσοισι κρυπτοὶ καρκῖνοι γίνονται, μὴ θεραπεύειν βέλτιον. θεραπευόμενοι γὰρ ἀπόλλυνται ταχέως, μὴ θεραπευόμενοι δὲ πλείω χρόνον διατελοῦσι.

Quibus occulti cancri adsunt, non curare melius. Curati enim citius intereunt, non curati vero longiùs vitam trahunt.

Quibus occulti cancri sunt, in profundo corporis existentes, nec in superficie apparentes. *non curare melius*, siue medicamentis, siue sectione venæ, siue vstione, quòd ita magis irritentur, & vlcera ad cicatricem

perduci nõ possint. *curati enim citius intereunt*, ob sequentia symptomata admodum periculosa. *non curati verò longius vitam trahunt*, placandi igitur potius ac mitigãdi, medicamẽtis dolorem sedantibus, saniémque eluentibus.

APH. 39 ARGVM.

Expletionem & vacuationem causas conuulsionis esse præcipuas.

Σπασμὸς γίνεται ἢ ὑπὸ πληρώσιος, ἢ κενώσιος. οὕτω δὲ καὶ λυγμός.

Cõuulsio à repletione fit, vel vacuatione, ita verò & singultus.

Conuulsio, quæ videlicet primogenium est malum, non quæ per cõsensum partis alicuius accidit. *à repletione fit*, quando nimirum nerui implentur crassa & glutinosa materia, & oppleti intenduntur, atque demũ ad sua principia contrahuntur. *vel vacuatione*, ob nimiam videlicet siccitatem, quæ & ipsa neruos exsiccãs, eos ad sua principia contrahit, ob id conuelluntur. *ita verò & singultus*, ex repletione siue

ue inanitione fit.

APH. 40 ARGVM.

Qui hypochondriorum dolores à febre succedente sanari possint.

Ὁκόσοισι περὶ τὸ ὑποχόνδριον πόνοι γίνονται ἄτερ φλεγμονῆς, τουτέοισι πυρετὸς ἐπιγενόμενος λύει τὸν πόνον.

Quibus ad hypochondrium dolor est sine inflammatione, ijs febris superueniens dolorem soluit.

Quibus ad &c. sine inflammatione, sed vel ab obstructione, vel à spiritu flatulento, vel ab inæquali intemperie frigida. *ijs febris superueniens dolorem soluit*, quippe febris crassos humores obstructionem facientes, dissoluit & extenuat, flatus discutit, atque intemperiem frigidam corrigit, & ad æqualitatem perducit.

APH. 41 ARGVM.

Pus in aliqua corporis parte natum, occultari posse duabus de causis.

Ὁκόσοισι διαπυόν τι ἐὸν ἐν τῷ σώματι μὴ διασημαίνει, τουτέοισι διὰ παχύτητα τοῦ

πύου, ἢ τοῦ τόπου οὐκ ἀποσημαίνει.

Quibus in corpore pus nullam sui dat significationem, ob craßitudinem sui aut loci non se prodit.

Quibus in corpore, corporisque aliqua parte. *pus nullam &c. nō se prodit*, si enim pus crassum sit in profundo manens, nunquam ad circunferētiam mouetur, nec tumorem excitat, qui nos puris latentis illic commonefacere queat: sic quoque cutis ipsa, sub qua coaceruatur pus, si crassior & densior fuerit, vt est ea quæ in calcaneo existit, in tumorem attoli non potest, ideóque nos latet, quanquam dolore & febre, idpsum deprehendere liceat, iuxta Aphorismum 47. lib. secundi.

APH. 42 ARGVM.

Hepatis duritiem regio morbo succedentem, malum præ se ferre.

EN τοῖσιν ἰκτερικοῖσι τὸ ἧπαρ σκληρὸν γενέσθαι, πονηρόν.

Regio morbo laborantibus iecur durū fieri, malum.

Regio

Regio *morbo laborantibus*, de quo Aphorismo 62. & 64. lib. quarti. *iecur durum fieri, malum*, nam durities hæc vel inflammationem, vel durum tumorem in iecore esse significat, quorum vtrunque malum & lætale est.

APH. 43 ARGVM.

Lienosos à breui intestinorum difficultate correptos liberari, à longa vtplurimum mori.

Ὁκόσοι σπληνώδεες ὑπὸ δυσεντερίης ἁλίσκονται, τουτέοισιν ἐπιγινομένης μακρῆς τῆς δυσεντερίης, ὕδρωψ ἐπιγίνεται, ἢ λειεντερίη, καὶ ἀπόλλυνται.

Qui lienosi difficultate intestinorum corripiuntur, ijs superuenientem longam dysenteriam aqua intercutem aut intestinorum læuitas excipit, & moriuntur.

Qui lienosi, in liene tumorem habentes, ex melancholico humore natum. *difficultate intestinorum corripiuntur*, breui, à morbo liberari possunt, quòd per eam vacuētur humores crassi & melācholici, lienem obsi-

dentes. *ijs superuenientem longã &c. aqua intercutem*, nam iecur larga & multa euacuatione debilitatur & refrigeratur. *aut intestinorum læuitas*, nã intestina læduntur à transitu vitiosorum humorum, & vis eorum laborat, & temperies natiui caloris aboletur, vnde & ventriculus conficitur. *& moriuntur*, prostrato ventriculi robore.

APH. 44 ARGVM.

Post vrinæ stillicidium ileo correptos mori, febre verò prehensos non item, sed euadere, si satis vrinæ tum effluxerit.

ΟΚόσοισιν ἐκ στραγγουρίης εἰλεὸς ἐπιγίνεται, ἐν ἑπτὰ ἡμέρῃσιν ἀπόλλυνται, ἢν μὴ πυρετοῦ ἐπιγενομένου ἅλις τὸ οὖρον ῥυῇ.

Quibus à stranguria ileus superuenerit, intra septem dies moriuntur, nisi febre superueniente copiosa vrina fluxerit.

Quibus *à stranguria*, quæ ex frigidis & crudis humoribus nata est. *ileus*, siue voluulus. *superuenerit, intra septẽ dies moriuntur*, propter immẽsos quos ileos excitat dolores, & quòd vrina retinetur: nequeunt enim ægri duobus

maximis malis obsistere, quare prostrata virtute malorum ipsorum violentia moriũtur. *nisi febris superueniẽte copiosa vrina fluxerit*, nam febris sua caliditate humores crassos concoquit & extenuat, vt subinde per vrinæ meatus commodius vacuari possint.

APHOR. 45 ARGVM.

Vlcerum diuturnorum cauas cicatrices fieri.

Ἕλκεα ὁκόσα ἐνιαύσια γίνεται, ἢ μακρότερον χρόνον ἴσχουσιν, ἀνάγκη ὀστέον ἀφίστασθαι, καὶ τὰς οὐλὰς κοίλας γίνεσθαι.

Si vlcera annua aut etiam diuturniora fiant, os abscedere est necesse, & cicatrices cauas fieri.

Si vlcera annua, per annum integrũ durantia. *aut etiam diuturniora fiant, os abscedere est necesse*, nam quum hæc ipsa sint maligna, necesse est vt nõ tãtum caro ipsa, verumetiam os quod carni subiectũ est corrumpatur & abscedat. *& cicatrices cauas fieri*, propter os deperditũ, eo enim corrupto aliud regigni non potest.

APH. 46 ARGVM.

Ante pubertatem gibbos ex asthmate, aut tussi factos, cito mori.

Ὁκόσοι κυφοὶ ἐξ ἄσθματος ἢ βηχὸς γίνονται πρὸ τῆς ἥβης, ἀπόλλυνται.

Qui gibbi ex asthmate aut tussi ante pubertatem fiunt, statim moriuntur.

Qui gibbi ex asthmate, spirandique difficultate. *aut tussi &c. statim moriūtur*, citò intereūt, quippe thorax in iis malè affectus, non potest cum corde & pulmone augeri: cum igitur pulmo vnà cum corde in gibbis istis augeatur, locus verò continens minor efficiatur, necesse est breui tēpore tantam fieri spiritus difficultatem, vt homo citò intereat.

APH. 47 ARGVM.

Verè vacuantibus præsidijs vtendum.

Ὁκόσοισι φλεβοτομίη, ἢ φαρμακείη ξυμφέρει, τουτέους προσήκον τοῦ ἦρος φλεβοτομεῖν, ἢ φαρμακεύειν.

Quibus venæ sectio aut purgatio prodest, his vere secanda vena, aut purgatio imperanda.

Quibus, adhuc sanis, ægrotaturis tamen nisi vacuentur. *venæ sectio*, sanguinisque detractio, ob vasorum plenitudinem. *aut purgatio prodest*, quòd humores habeant corruptos, & mala qualitate affectos. *iis verè*, verno tempore. *secunda vena, aut purgatio imperanda*, vernum enim tempus cum temperatum sit, ad sanguinis missionem aut purgationem aptissimum existit: non enim tum calor est, qui corporis faciat dissolutionem: neque frigus humorum concretionem afferens: non inæqualitas vires perturbans.

APH. 48 ARGVM.

Dysenteriam lienosis succedentem, bonum præ se ferre.

Τοῖσι σπληνώδεσι δυσεντερίην ἐπιγινομένην, ἀγαθόν.

Lienosis difficultas intestinorum superueniens, bono est.

Lienosis, lienémque prædurum habentibus. *difficultas intestinorum superueniens*, non tamen diu perseuerãs. *bono est*, nam melancholicus humor lieni infusus effunditur, & ad exitum per intestina de liene transmutatur.

APH. 49 ARGVM.

Perfectæ solutionis inflammationum podagricarum terminus exprimitur.

Ὁκόσα ποδαγρικὰ νουσήματα γίνεται, ταῦτα ἀποφλεγμήναντα ἐν τεσσαράκοντα ἡμέρῃσιν, ἀποκαθίσταται.

Qui podagrici morbi fiunt, sedata inflammatione intra dies quadraginta cõquiescunt.

Qui podagrici morbi fiunt, materia ad articulos pedum decumbente. *sedata inflammatione intra dies quadraginta*, fluxione ad articulos decumbente facta. *conquiescunt*, modò medicus omnia probè administrauerit & æger illi obedierit: nullo enim prædictorum aberrante, fieri non potest quin intra diem quadragesimum finiatur podagrica inflammatio.

APH 50 ARGVM.

Febrem bilisque vomitum superuenire vulnerato cerebro.

ΟΚόσοισιν ἂν ὁ ἐγκέφαλος διακοπῇ, τούτεοισιν ἀνάγκη πυρετὸν καὶ χολῆς ἔμετον ἐπιγίνεσθαι.

Quibus diuisum est cerebrum, his febrem & biliosum vomitum superuenire est necesse.

Quibus diuisum est, & profundè vulneratum *cerebrum*, cerebríque substãtia. *ijs febrem*, propterea quòd cerebrũ pars princeps existens, inflammatione afficiatur, magnam cum corde per arterias, colligantiam habens. *& biliosum vomitum superuenire necesse est*, propter consensum ventriculi cum cerebro.

APH. 51 ARGVM.

Apoplexia correptos intra septimum diem mori, nisi febris eos corripiat.

ΟΚόσοισιν ὑγιαίνουσιν ὀδύναι γίνονται ἐξαίφνης ἐν τῇ κεφαλῇ καὶ παραχρῆμα ἄφωνοι γίνονται καὶ ῥέγχουσι, ἀπόλλυν)

ἐν ἑπτὰ ἡμέρῃσιν, ἢν μὴ πυρετὸς ἐπιλάβῃ.

Qui valentes, capitis repentè doloribus corripiuntur, & protinus muti fiunt & stertunt, intra septem dies intereunt, nisi febris interuenerit.

Qui valentes, illæsas adhuc actiones omnes habẽtes. *capitis repentè &c. muti fiunt*, actionibúsque voluntariis destituuntur. *& stertunt*, vt ob id anhelitus impediatur, neq; liberè exeat. *intra septem dies intereunt*, quippe apoplectici efficiuntur. *nisi febris*, satis valida. *interuenerit*, quæ spiritus flatuosos & pituitosos humores, dissoluat & extenuet.

APH. 52 ARGVM.

Oculorum candidum commißis palpebris apparens, exitium præ se ferre.

Σκοπεῖν δὲ χρὴ καὶ τὰς ὑποφάσιας τῶν ὀφθαλμῶν ἐν τοῖσιν ὕπνοισιν. ἢν γάρ τι ὑποφαίνηται ξυμβαλλομένων τῶν βλεφάρων τοῦ λευκοῦ, μὴ ἐκ διαῤῥοίης ἐὸν τι ἢ ἐκ φαρμακοποσίης, φλαῦρον τὸ σημεῖον καὶ θανατῶδες σφόδρα.

Sed in somnis etiam an de oculis ali-

quid

quid subappareat spectare oportet. Nam *si quid non exactè commissis palpebris de albo appareat, modo non ex alui profluuio aut medicamenti potione accidat, malum signum est & valde perniciosum.*

Sed in somnis &c. spectare oportet, medicum qui prædicere perfectè velit quid futurum sit ægrotis, considerare debet quomodo oculi dormientium maneant. *nam si quid &c. de albo appareat,* per somnum ipsum. *modo non ex alui profluuio,* à natura facto. *aut medicamenti potione,* aut alia immodica euacuatione. *malũ signum est & valde perniciosum,* hoc enim symptoma extremam imbecillitatem palpebras mouentis facultatis portendit.

APHOR. 53 ARGVM.

Deliria secura, & contra periculosa exprimuntur.

Αἱ παραφροσύναι, αἱ μὲν μετὰ γέλωτος γινόμεναι ἀσφαλέστεραι. αἱ δὲ μετὰ σπουδῆς, ἐπισφαλέστεραι.

Deliratio quæ cum risu fit, tutior: quæ verò studio adhibito, periculosior.

Deliratio *quæ & tutior*, minúsque periculosa, quòd nimirum à sanguine parum adusto, aut sola caliditate sine vitioso humore procreetur & concitetur. *quæ verò studio adhibito*, quæ seriò accidit. *periculosior*, quòd à prauo humore genita sit, nimirũ ab atra bile, quæ ex bile flaua superassata prosilit.

APHOR. 54 ARGVM.

Spirationes luctuosas in acutis morbis qui cum febre affligunt malas esse.

ΕΝ τοῖσιν ὀξέσι πάθεσι τοῖσι μετὰ πυρετοῦ αἱ κλαυθμώδεες ἀναπνοαὶ, κακαί.

In morbis acutis cum febre quasi gementium suspiria, mala.

In morbis acutis, sæuissima symptomata habentibus, & citò finientibus. *cum febre*, cõiunctis, *quasi gementium suspiria*, quæ in medio sui interrumpuntur, & luctui similes existũt. *mala*, quippe musculorum & neruorũ præ se ferunt duritiem, vel virium imbecillita-

cillitatem, vel dolorificum aut conuulſorium aliquem affectum.

APHOR. 55 ARGVM.

Podagricos morbos vere & autumno magna ex parte excitari.

TÀ ποδαγρικὰ τοῦ ἦρος καὶ τοῦ φθινοπώρου κινέεται ὡς ἐπὶ τὸ πολύ.

Dolores podagrici vere & autumno ferè mouentur.

Dolores podagrici, atque adeò articulares. *vere mouentur*, quippe vere mediocriter calido exiſtẽte, materiæ per hyemem antea congeſtæ fit effuſio, & à validioribus partibus ad imbecillas detruditur materia. *& autumno ferè*, ob vitioſos humores in æſtate propter fructuum eſum, coaceruatos, ac tum ad partes imbecilliores decumbentes: deinde ob autumni inæqualitatem, quæ horum aliorúmque multorum morborum cauſa eſſe ſolet,

APH. 56 ARGVM.

Mutationis melancholicorũ morborũ quatuor modos eſſe periculoſos.

TOῖσι μελαγχολικοῖσι νουσήμασιν ἐς τάδε ἐπικίνδυνοι αἱ ἀποσκήψιες, ἢ ἀποπληξίην τοῦ σώματος, ἢ σπασμὸν, ἢ μανίην, ἢ τύφλωσιν σημαίνει.

Morbis melancholicis per hæc tempora suspecti humorum decubitus, vel apoplexiam corporis, vel conuulsionem, vel maniam, vel cæcitatem denuntiant.

Morbis melancholicis per hæc tempora, & ad has sequentes partes decumbentes. *apoplexiam*, si ad cerebri ventriculos deferuntur. *vel conuulsionem*, si ad neruosum genus. *vel maniam*, si ad substantiam cerebri aut membranas, supramodum adusti aut putrefacti humores melācholici translati fuerint. *vel cæcitatem*, si ad oculos prædicti humores decumbant.

APHOR. 57 ARGVM.

Apoplexiam à melancholia ortam à quadragesimo vsque ad sexagesimum annum fieri.

ἈΠόπληκτοι δὲ μάλιστα γίνονται ἡλικίῃ τῇ ἀπὸ τεσσαράκοντα ἐτέων ἄχρις ἑξήκοντα.

Apo-

Apoplexiæ autem fiunt maximè à quadragesimo anno ad sexagesimum.

Apoplexiæ autem, ex melancholia ortæ. *fiunt maximè à quadragesimo anno*, qua ætate melancholia plurimũ in corporibus nostris abundat. *ad sexagesimum*, fit autem ob atram bilem ventriculos cerebri sua crassitie obstruentem.

APHOR. 58 ARGVM.

Omentum extra corpus exiens putrescere.

HN ἐπίπλοον ἐκπέσῃ, ἀνάγκη ἀποσαπῆναι.

Si omentum exciderit, necessariò computrescit.

Si *omentum*, quod est membrana quædam multis venis arteriis & neruis intertexta, ventriculo insidens & veluti supernatans, innatúmque eius calorem fouens, ἐπίπλοον Græcis dicta. *exciderit*, extra corpus vulneratum exeat. *necessariò computrescit*, nam aëri ambienti expositum facilè

putrescit, adeóque putrefactioni obnoxium est, cum reductum & repositum fuerit, ideo pars eius quæ nudata est, nigra potissimum & liuens, resecanda amputandáque venit.

APH. 59 ARGVM.

Causam exponit cur in diuturna coxendice, coxa è sua cauitate exeat & rursus ingrediatur.

ΟΚόσοισιν ὑπὸ ἰσχιάδος ἐνοχλουμένοισι χρονίης ἐξίσταται, τὸ ἰσχίον, καὶ πάλιν ἐμπίπτει, τουτέοισι μύξαι ἐπιγίνονται.

Quibus longo coxendicũ dolore conflictatis femoris summũ coxa excidit, rursumque recidit, ijs mucosa ibidem pituita colligitur.

Quibus lõgo, & grauissimo. *coxẽdicũ dolore &c. coxa excidit*, ita vt facilè os exeat, & in idem relabatur. *ijs mucosa ibidem pituita colligitur*, humores nimirum pituitosi, qui ligamenta articulationis humectant, & laxiora efficiunt.

APH. 60 ARGVM.

Quid sequatur crebrum articuli coxæ propter

propter mucoris multitudinem exitum & ingressum.

ΟΚόσοισιν ὑπὸ ἰσχιάδος ἐνοχλουμένοισι χρονίης, τὸ ἰσχίον ἐξίσταται, πυτέοισι τήκεται τὸ σκέλος, καὶ χωλοῦνται, ἢ μὴ καυθῶσιν.

Quibus diuturno dolore ischiadico vexatis femoris caput coxa excidit, ys femur contabescit & claudicant, nisi vrantur.

Quibus diuturno dolore ischiadico, qui diu coxendico dolore molestati sunt, atq; grauissimo. *coxa excidit*, coxæque articulus, ratione humidorum humorum, qui illuc decurrerunt, *ys femur contabescit*, & atrophia laborat: mucoris enim copia, frigiditate sua obstructionem parit, atque adeò impedit ne nutrimentum illuc deferatur. *& claudicant*, à diuturna coxendice vexati. *nisi vrantur*, candentibus ferramentis: nã vstio mucorem illapsum absumit & exiccat, ac ligamenta solidiora efficit, & in habitum naturalem reducit.



APHORISMORVM HIPPOCR.

LIBER. VII.

ARGVMENTVM.

Septimus hic liber omnino prognosticus est, in quo de præsagiis sanitatis aut mortis agit.

APHORISMI PRIMI ARGVMENTVM.

Quid frigiditas partium corporis extremarum in acutis morbis significet.

ΕΝ τοῖσιν ὀξέσι νουσήμασι ψῦξις ἀκρωτηρίων, κακόν.

In morbis acutis frigus partium extremarum malum.

In morbis acutis, vt febribus continuis, iis præsertim quæ ardentes perniciosæ vocantur. *frigus partium extremarũ*, absque causa manifesta. *ma-*

lum,

lum, significat enim vehementissimã visceris cuiusdam (vt iecoris aut ventriculi) inflammationem, cuius calor instar cucurbitulæ sanguinem ad se trahit, vnde extremæ partes frigescũt, sanguine destitutæ.

APH. 2 ARGVM.

Liuidam carnem propter os quod ægrotat, malum portendere.

Ἐπὶ ὀστέῳ νοσέοντι σὰρξ πελιδνὴ, κακόν.

Propter os ægrotans caro liuida, malum.

Propter os ægrotans, ob fracturam, vel putredinem, vel aliud quidpiam. *caro liuida*, & velut plumbea cineritiáque. *malum*, quippe immensam ossis putredinem, atque adeò natiui caloris extinctionem præ se fert.

APH. 3 ARGVM.

Singultum à vomitu excitatum, & rubros oculos, malum præ se ferre.

Ἐπὶ ἐμέτῳ λὺγξ καὶ ὀφθαλμοὶ ἐρυθροὶ, κακόν.

A vomitu singultus & oculorum rubor, malum.

A *vomitu singultus*, qui veluti ventricule conuulsio est, ab expultrice facultati noxia volentis detrudere, excitatus. *& oculorũ rubor*, ita vt vtrũque malum coniungatur. *malum*, ille quidem non mediocrem cerebri vel ventriculi inflammationẽ significat, accedunt oculi rubri materiam excipientes, & similiter affecti: id autẽ accidit inflammatione potissimum in cerebro existente.

APHOR. 4 ARGVM.

Horrorem à sudore malum esse.

Ἐπὶ ἱδρῶτι φρίκη, οὐ χρηστόν.

A sudore horror, non bonum.

A *sudore*, iudicatorio, & die critico facto. *horror*, superueniens. *non bonum*, quippe sudor ægrotantem à morbo non leuans, aut imbecillitatem facultatis excretricis, aut materiæ noxiæ copiam significat, ideóque hunc statim consequitur horror, vtpote vniuersis noxiis per sudorem non expulsis, sed iuxta sensiles partes hærentibus.

APHOR. 5 ARGVM.

A furore difficultatem intestinorum, vel hydropem, vel vehementem mentis alienationem, bonum præ se ferre.

Ἐπὶ μανίῃ δυσεντερίη, ἢ ὕδρωψ, ἢ ἔκστασις, ἀγαθόν.

Ab insania, quam maniam Græci uocant, difficultas intestinorũ aut hydrops, aut ecstasis, bonum.

Ab insania &c. difficultas intestinorum, si aduenerit. *bonum*, nam signum est noxios humores à capite ad inferiora, vt ventrem & intestina, transferri. *aut hydrops*, quòd materia quæ maniam efficiebat ad iecur decurrat. *aut ecstasis*, significat enim naturã in hoc esse, vt noxios humores iam concoctos paulò pòst per iudicationem euacuet.

APHOR. 6 ARGVM.

In morbis longis fastidium cibi, malũ.

Ἐπὶ νούσῳ πολυχρονίῃ ἀποσιτίη καὶ ἄκρητοι ὑποχωρήσιες, κακόν.

In morbo diuturno cibi fastidium &

syncera deiectiones, malum.

In morbo diuturno, cuiuscunque generis hic sit. *cibi fastidium*, appetitúsq; prostratio. *& syncera deiectiones, malum*, nam illud facultatis concoctricis imbecillitatem præ se fert, qua imbecilla existente, nutriri corpus haud potest, sed quotidie imbecillius fit, ideóque virtus imbecilla ad finem morbi diuturni perdurare non potest: hæc nullos humores aquosos sibi permixtos habentes, omnem natiuam humiditatem à febrili calore esse exustā significant.

APHOR. 7 ARGVM.

Rigorem & desipientiam à larga vini potatione, malum portendere.

ΕΚ πολυποσίης ῥῖγος καὶ παραφροσύνη, κακόν.

A multa potatione rigor & delirium, malum.

A multa potatione, vini non aquæ. *rigor & delirium, malum*, ille natiui caloris à multa vini potione extinctionem significat: hoc per se quidem

non admodum magni momenti malum præ se fert, verum rigori adiuncta omnimodam perniciem minatur.

APH. 8 ARGVM.

Quæ symptomata sequantur suppurationem in ventriculum factam.

Ἐπὶ φύματος ἔσω ῥήξεως ἔκλυσις, ἔμετος, καὶ λειποψυχίη γίνεται.

A *tuberculi introrsum eruptione exolutio, vomitio, & animi defectio fit.*

A *tuberculi introrsum*, in ipso vētriculo. *eruptione*, facta. *exolutio*, commune symptoma omnium ruptionum euenit, quòd cum purè affatim exeunte, vitalis spiritus excernitur. *vomitio*, quæ solam hic in ventriculum factam ruptionem consequitur. *aut animi defectio fit*, quòd vitalis spiritus simul cū purè excernitur: adde puris qualitatem ad cor delatam animi defectum excitare.

APH. 9 ARGVM.

Delirium *aut conuulsionem à larga sanguinis profusione accidentem, malū.*

Ἐπὶ αἵματος ῥύσει παραφροσύνη ἢ καὶ σπασμὸς, κακόν.

A sanguinis profluuio desipientia, aut etiam conuulsio, malum.

A sanguinis profluuio, à quacunque parte corporis illud fit. *desipientia ac conuulsio*, quippe deffectũ & siccitatẽ corporis magnam, viriúmq; cerebri imbecillitatem significant.

APH. IO ARGVM.

Vomitum, aut singultũ, aut conuulsionem, aut delirium ab ileo, malũ portendere.

Ἐπὶ εἰλεῷ ἔμετος, ἢ λύγξ, ἢ σπασμὸς, ἢ παραφροσύνη, κακόν.

Ab ileo vomitus, & singultus, & desipientia, & conuulsio, malum.

Ab ileo, grauissimo morbo, & sæuissima symptomata habente. *vomitus*, exitiale signum est: fit autem ab intestino phlegmone laborãte, quod nec pondus, nec acrimoniam tolerat excremẽtorum, eóq; expellere ea quàm lõgissimè à se nititur, tandémque excretricis facultatis impetu, vsq; ad os

excre-

excrementa illa afcendunt vomúntque ægri. *fingultus*, quoque exitialis eſt, fit autem tum maximè, vbi ſtercus ad ventriculum vſque conſcenderit, morſum enim excitans ſingultum parit. *deſipiétia & conuulſio*, hæc autẽ duo exitialia ſigna accidũt propter conſenſum cerebri cum ventriculo.

APHOR. II ARGVM.

Peripneumoniam pleuritidi ſuccedentem, malum portendere.

Ἐπὶ πλευρίτιδι περιπνευμονίη, κακόν.

A pleuritide peripneumonia, malũ.

A pleuritide peripneumonia, malum, ſatis enim periculi à ſola pleuritide erat, ſuccedente ergo pulmonis inflammatione, maius eſſe malũ neceſſe eſt, quòd tum pars noxiorum humorum à parte ignobiliore, coſtis nimirum, ad magis principem partem, pulmonem ſcilicet transferatur.

APH. 12 ARGVM.

Peripneumoniæ phrenitis ſuperueniens, malum ſignificat.

Ἐπὶ περιπνευμονίῃ φρενῖτις, κακόν.

A peripneumonia phrenitis, malū.

A *peripneumonia &c.* quòd nimirū altero manente nouus succedat morbus, vaporibus à pulmone ad cerebrū delatis.

APHOR. 13 ARGVM.

Conuulsionem aut distensionem febribus intensis superuenientem malum significare.

Ἐπὶ καύμασιν ἰσχυροῖσι σπασμὸς, ἢ τέτανος, κακόν.

Propter ardores vehementes conuulsio aut tetanus, malum.

Propter ardores, & febres intensas. *conuulsio aut tetanus, malum*, sunt enim ex inanitione, quæ lethalia esse suprà abundè dictum est.

APH. 14 ARGVM.

Si stupor aut delirium accidit capite vulnerato, malum signum.

Ἐπὶ πληγῇ ἐς τὴν κεφαλὴν ἔκπληξις, ἢ παραφροσύνη, κακόν.

Propter plagám in capite acceptā stupor, aut desipientia, malum.

Pre-

Propter plagam in &c. & vulnus. *stupor*, qui fit vbi apertis oculis manent vulnerati, nihilque loquuntur. *aut desipientia, malum*, quia vulnus ad cerebrum penetrasse significant.

APH. 15 ARGVM.

Puris sputum à sanguinis sputo factũ, malum esse.

Ἐπὶ αἵματος πτύσει πύου πτύσις, κακόν.

A sanguinis sputu puris expuitio, malum.

A sanguinis sputu, aliquandiu perseuerante. *puris sputum, malum*, quippe pulmonis aut thoracis partis alicuius exulcerationem significat.

APH. 16 ARGVM.

Tabem aluique profluuium sputo puris succedentia, malum portendere.

Ἐπὶ πύου πτύσει φθίσις καὶ ῥύσις. ἐπὴν δὲ τὸ πτύελον ἴσχηται, ἀποθνήσκουσιν.

A puris sputu pthisis & fluxio: quum vero sputum retentum fuerit, moriũtur.

A puris sputu, quod potissimũ à pulmone prodit. *phthisis*, & tabes. *& fluxio*, alui nimirum, aut capillorum

profluuiũ, malum est signum. *quum vero sputum retentum*, ob facultatem expultricem adeò imbecillam, vt pulmonem à pure expurgare non possit. *moriuntur*, quòd statim à puris copia in pulmonibus coaceruata, respirationis itinere obstructo, strangulẽtur.

APHOR. 17 ARGVM.

Singultum à magna hepatis inflammatione ortum, malum significare.

Ἐπὶ φλεγμονῇ τοῦ ἥπατος λύγξ, κακόν.

Propter iecoris inflammationem singultus, malum.

Propter iecoris inflammationem, magnam quæque effatu digna sit, *singultus*, superueniens. *malum*, quippe ob inflammationis magnitudinẽ in hepate factam, ventriculus in consensum rapitur.

APHOR. 18 ARGVM.

Ab immoderata vigilia conuulsionẽ, aut delirium, malum portendere.

Ἐπὶ ἀγρυπνίῃ σπασμὸς ἢ παραφροσύνη, κακόν.

Propter vigiliam conuulsio, aut desipientia, malum.

Propter vigiliam, immoderatā, quæ corpus alioqui exiccat & vacuat. *conuulsio*, quæ ex siccitate est. *aut desipientia*, immodicæ quoque siccitatis ratione proueniens. *malum*, atque adeò lethale.

APH. 19 ARGVM.

Osse denudato circunstantem carnem erysipelate deprehendi, malum.

ΕΠὶ ὀστέου ψιλώσει ἐρυσίπελας.
Ab ossis nudatione erysipelas.

Ab ossis nudatione, vel carnium & pellis priuatione, si superueniat. *erysipelas*, à sanguine & flaua bile calidioribus quàm oportet, proueniens. *malum*, est signum: significat enim sanguinem calidiorem flauámque bilem confluere, quæ adiacentes partes sua acrimonia exedit & absumit.

APH. 20 ARGVM.

Erysipelati putredo aut suppuratio superueniens malum portendit.

Ἐπὶ ἐρυσιπέλατι σηπεδὼν, ἢ ἐκπύησις, κακόν.

Ab erysipelate putredo, aut suppuratio, malum.

Ab erysipelate &c. malum, quippe malignum tum erysipelas, quòd non tantum in superficie existentes corporis partes exulcerat, sed & profundiores depascitur, atque adeò vlcus putridum efficit, quod vndique ad partes pascendo serpit.

APHOR. 21 ARGVM.

Copiosam sanguinis eruptionem, cum periculo, vehementem in vlceribus pulsum, sequi.

Ἐπὶ ἰσχυρῷ σφυγμῷ ἐν τοῖσιν ἕλκεσιν αἱμοῤῥαγίη, κακόν.

A forti in vlceribus pulsu hæmorrhagia, malum.

A forti, & vehementi. *in vlceribus pulsu*, qui fit ab arteria in vlcerosa parte existente, cui phlegmone accedit. *hæmorrhagia, malum*, duplici ratione, quòd vlceri coniunctã esse maximam inflammationem ostendat: deinde

deinde quòd hæc sanguinis eruptio non fiat nisi aperto arteriæ ore, à qua semel promanātem sanguinem compescere est difficile.

APH. 22 ARGVM.

Diuturnum ventris dolorem, suppurationem sequi.

Ἐπὶ ὀδύνῃ πολυχρονίῃ τῶν περὶ τὴν κοιλίην ἐκπύησις.

A *diuturno partium ad ventrem attinentium dolore, suppuratio.*

A *diuturno &c. dolore*, ob inflammationem, vel abscessum ex crassa & glutinosa materia, facto. *suppuratio*, fieri solet, quæ perniciem minatur.

APH. 23 ARGVM.

Dysenteriam biliosas deiectiones synceras sequi.

Ἐπὶ ἀκρήτῳ ὑποχωρήσει δυσεντερίη, κακόν.

A *syncera deiectione dysenteria, malū.*

A *deiectione*, biliosa, per inferna. *syncera*, nulli aquosæ humiditati permixta. *dysenteria*, sequitur, propter hu-

morem qui suo transitu morsus, erosiones, & exulcerationes in intestinis efficit.

APH. 24 ARGVM.

Oßis capitis præcisionem delirium sequi.

Ἐπὶ ὀστέου διακοπῇ παραφροσύνη, ἢν ἐς κενεὸν λάβῃ.

Ab *oßis vulnere desipientia, si in vacuum vsque penetrauerit.*

Ab *oßis*, capitis videlicet. *vulnere*, facto per rem incidentem. *desipientia*, superuenit. *si in vacuum vsque penetrauerit*, & vsque ad cauitatem illã perueneerit, in qua cerebrum continetur.

APH. 25 ARGVM.

Conuulsionem ab immodica purgatione, lethalem esse.

Ἐκ φαρμακοποσίης σπασμὸς, θανατῶδες.

A *medicamento poco conuulsio, mortifera.*

A *medicamento*, immodicè purgante, *conuulsio*, membrorum per neruos

retra-

retractio. *mortifera*, significat enim inanitionem & siccitatem insanabilem.

APHOR. 26 ARGVM.

Partium extremarum frigiditatem vehementi ventris dolori superuenientem, malum portendere.

Ἐπὶ ὀδύνῃ ἰσχυρῇ τῶν περὶ τὴν κοιλίην ἀκρωτηρίων ψύξις, κακόν.

Propter vehementem dolorem partiũ ad ventrem attinentium, extremarum perfrigeratio malum.

Propter vehementem &c. perfrigeratio malum, quippe cum dolor vehemens non fiat nisi propter inflammationem insignem, quæ instar cucurbitulæ ad se sanguinẽ trahit, necesse est vt illum frigiditas extremarum partium sequatur, quæ malum non leue portendit.

APHOR. 27 ARGVM.

Tenesmum grauidæ mulieri accidentem, abortum facere.

Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ τεινασμὸς ἐπιγενόμενος, ἐκτρῶσαι ποιέει.

Si prægnanti tenasmus superuenerit, abortus est causa.

Si *prægnanti tenasmus*, ad frequentes exurrectiones impellens. *abortus causa est*, fœtúmque excutit, ob consensum vteri cum recto intestino.

APH. 28 ARGVM.

Quæ corporis partes abscissæ augescãt coalescántque minus.

Ὅτι ἂν ὀστέον ἢ χόνδρος, ἢ νεῦρον ἀποκοπῇ ἐν τῷ σώματι, οὔτε αὔξεται οὔτε συμφύεται.

Siue os siue cartilago siue neruus sectus fuerit in corpore, neque augetur neque coalescit.

Siue *os, siue cartilago, &c.* abundè id expositum est supra Aphor. 19. sexti libri.

APHOR. 29 ARGVM.

Profluuium alui leucophlegmatiæ superueniens, bonum.

Ἢν ὑπὸ λευκοῦ φλέγματος ἐχομένῳ διάρροια ἐπιγένηται ἰσχυρὴ, λύει τὴν νοῦσον.

Si leucophlegmatia detento fortis diarrhœa

rhœa superuenerit, morbum soluit.

Si *leucophlegmatia detento*, eàque aquæ inter cutem specie quæ Anasarca dicitur. *fortis diarrhœa superuenerit*, diúque durauerit. *morbum soluit*, eo quòd causam morbum efficientẽ vacuat: idque verum erit, si excretrix virtus valida fuerit: si enim propter retenticis facultatis imbecillitatem alui profluuium accideret, mortem potius adferret.

APH. 30 ARGVM.

Pituitam defluere à capite ÿs, qui profluuio alui vexati spumosa habẽt excrementa.

Ὁκόσοισιν ἀφρώδεα τὰ διαχωρήματα ἐν τῇσι διαῤῥοίῃσι, τουτέοισιν ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ταῦτα καταῤῥέει.

Quibus per diarrhœas spumosa sunt alui excrementa, ÿs à capite fit defluxio.

Quibus per diarrhœas, &c. alui excrementa, multas ampullas habent, ex commixtione humiditatis & flatus, vt in mari fit quando commouetur. *ÿs à capite fit defluxio*, hæc verò cùm

sic humor flatuosus, minimè mirum si in eius à capite in ventriculum motu spumosa fiat.

APHOR. 31 ARGVM.

Vrinam crassioris farinæ speciem referentem, diuturnitatē morbi significare.

Ὁκόσοισι πυρέσσουσιν ἐν τοῖσιν οὔροισι κριμνώδεες αἱ ὑποστάσιες γίνονται, μακρὴν τὴν ἀῤῥωστίην σημαίνουσιν.

Quibus per febres in vrinis sedimenta crassiorem farinam referunt, longam inualetudinem fore significant.

Quibus per febres,&c. longam inualetudinē, viribus robustis & validis existentibus. *fore significant*, quippe materiam ostendūt crassam, quæ exiguo tempore discuti non potest.

APH. 32 ARGVM.

Hypostases ab initio tenues, & subinde biliosas, acutum morbum significare.

Ὁκόσοισι δὲ χολώδεες αἱ ὑποστάσιες, ἄνωθεν δὲ λεπταί, ὀξεῖαν ἀῤῥωστίην σημαίνει.

Quibus in vrinis biliosa sedimenta,

sed

ſed ſuprà tenuia apparuerint, acutum morbum ſignificant.

Quibus &c. biliosa ſedimenta, flaua bile collorata. *ſed ſuprà*, ab initio morbi. *tenuia*, & aquoſa quum fuerint. *acutum morbum ſignificant*, & breuem, nempe qui citò terminari debet.

APH. 33 ARGVM.

Inæquales vrinas vehementem corporis turbationem ſignificare.

Ὁκόσοισι δὲ διεστηκότα τὰ οὖρα γίνεται, τουτέοισι ταραχὴ ἰσχυρὴ ἐν τῷ σώματί ἐστιν.

Quibus diuerſæ ſunt vrinæ, ijs vehemens ſit in corpore turbatio.

Quibus diuerſæ ſunt vrinæ, inæquales quoque & diſiectæ. *ijs vehemens ſit in corpore turbatio*, quòd nimirum alicubi naturæ, alicubi cauſarum morboſarum præ ſe ferant victoriam.

APH. 34 ARGVM.

Bullas in vrinis ſuperstantes, flatuoſum ſpiritum, adeóque renum morbum frigidum & longum, ſignificare.

Οκόσοισιν ἐν τοῖσιν οὔροισιν ἐφίσανται πομφόλυγες, νεφριτικὰ σημαίνουσι καὶ μακρὴν τὴν ἀῤῥωστίην ἔσεσθαι.

Quibus in vrinis bullæ innatant, nephritim, & longam fore inualetudinem significant.

Quibus in vrinis bullæ, & ampullæ. *innatant*, in vrinæ superficie consistunt. *nephritim*, & frigidum renum morbum. *& longam fore &c.* quippe frigidum omne solutu ac concoctu difficile existit.

APH. 35 ARGVM.

Pinguedinem in vrinæ superficie innatatem, vniuersi corporis tabem significare.

Οκόσοισι δὲ λιπαρὴ ἡ ἐπίστασις καὶ ἀθρόη, τουτέοισι νεφριτικὰ, καὶ ὀξέα σημαίνει.

Quibus in vrina adipalis superficies est & conferta, ijs nephriticum & acutum morbum adesse significat.

Quibus in vrina adipalis superficies est, insidens & supernatans aliquid pingue, & telis aranearum simile. *& conferta*,

ferta, quæ confertim & affatim exiuit. *ijs nephriticum*, nam renum pinguedo, nimio calore colliquatur. *& acutum morbum significat*, vehementem calliditatem, quæ in renibus pinguedinem colliquefacit, prænuntiantem, & morbum breuem generantem.

APH. 36 ARGVM.

Nephriticis dolores circa spinæ dorsiuæ musculos obtinetibus, abscessus accidere.

Ὁκόσοισι δὲ νεφριτικοῖσιν ἐοῦσι τὰ προειρημένα συμβαίνῃ σημεῖα, πόνοι τε περὶ τοὺς μύας τοὺς ῥαχιαίους γίνονται, ἢν μὲν περὶ τοὺς ἔξω τόπους γίνωνται, ἀπόστημα προσδέχου ἐσόμενον ἔξω. ἢν δὲ μᾶλλον οἱ πόνοι πρὸς τοὺς ἔσω τόπους γίνωνται, καὶ τὸ ἀπόστημα προσδέχου ἐσόμενον μᾶλλον ἔσω.

Si quibus vero è renibus laborantibus præter suprà dicta signa dolores etiã circa spinæ musculos fiant, si quidem ad loca exteriora sentiantur, extrinsecus abscessum quoq; fore expecta: si vero ad interiora magis vergeat, abscessum etiã intrinsecus futurum potius sperandũ est.

Si quibus verò & c. dicta signa, vt si

sit crassum & multum sedimen. *dolores etiam &c. fiant*, & diu perseuerent. *si quidem &c. extrinsecus*, in musculis externis. *si vero ad &c. abscessum etiã intrinsecus*, internis musculis, vel in ipsis renibus.

APHOR. 37 ARGVM.

Quis ex sanguinolentis vomitibus saluber sit, aut malus.

Ὁκόσοι αἷμα ἐμέουσιν, ἢν μὲν ἄνευ πυρετοῦ σωτήριον. εἰ δὲ ξὺν πυρετῷ, κακόν· θεραπεύειν δὲ τοῖσι ψυκτικοῖσι, καὶ τοῖσι στυπτικοῖσι.

Qui sanguinem vomunt, si sine febre accidunt, salutare est: si cum febre, malum. Curatio vero refrigerandi & adstringendi vim habentibus perficitur.

Qui sanguinem vomunt, sine magna violentia, sed sponte profluentem. *si sine febre, salutare est*, quòd nullum esse phlegmonem in eo loco vnde sanguis fertur, significat. *si cum febre malum*, quippe cum inflãmatio est, quæ non tam facilè curatur. *curatio verò*, vomitus qui fit sine phlegmone. *refrigerandi*

gerandi &c. perficitur, quippe his impetus sanguinis erumpentis cohibetur ac reprimitur, eorumque siccitate vlcera sanantur.

APHOR. 38 ARGVM.

Eorum quæ ex capite in thoracem defluunt suppurationis terminus exprimitur.

Κατάρροι ἐς τὴν ἄνω κοιλίην ἐκπυοῦνται ἐν ἡμέρῃσιν εἴκοσιν.

Destillationes in ventrem superiorem ad suppurationem perueniunt intra dies viginti.

Destillationes, ex capite. *in ventrem superiorem*, & thoracem in quo pulmo continetur. *ad suppuratione̅ perueniu̅t*, ob loci caliditatem. *intra viginti dies*, vt iudicatorios: certè terminum hunc non transcendunt, sed in eo planè suppurantur, aut alio quodam decretorio die, intra hunc dierum numerum contento, vt decimoquarto, decimoseptimo.

APHOR. 39

Ἢν οὐρέῃ αἷμα καὶ θρόμβους, καὶ στραγγουρίην ἔχῃ, καὶ ὀδύνη ἐμπίπτῃ ἐς τὸ

περίναιον καὶ τὸ ὑπογάστριον καὶ τὸν κτένα, τὰ περὶ τὴν κύστιν νουσέειν σημαίνει.

Si quis sanguinem & grumos meiat, & stranguria laboret, dolore ad hypogastrium & pectinem & perinæum pertinente, ad vesicam loca laborant.

Si quis sanguinem, superfluus est hic Aphorismus, & ad verbum recitatus & abundè expositus lib. 4. Aphor. 80.

APH. 40 ARGVM.

Linguam subitò infirmam factā, aut aliquam partem corporis resolutam, melancholicum humorem significare.

ΗΝ ἡ γλῶσσα ἐξαίφνης ἀκρατὴς γένηται ἢ ἀπόπληκτόν τι τοῦ σώματος, μελαγχολικὸν τὸ τοιοῦτο γίνεται.

Si derepentè lingua incontinens fiat, aut aliqua corporis pars attonita stupeat, signum est melancholicum.

Si derepentè lingua incontinens fiat, & ita infirma, vel non possit articulatam efficere vocem. *aut aliqua &c. stupeat,* resolutáq; fit & paralysim passa. *signum est melancholicum*, quippe melācholicus humor, sua crassitie ner-

uos sensum & motum deferentes à cerebro, obstruit, atque adeò impedit ne vis sensifica & motrix ad linguæ aliarúmq; partium musculos, queat peruenire.

APHOR. 41 ARGVM.

Singultus immoderatæ purgationi superueniens, malus.

ΗΝ ὑπερκαθαιρομένων τῶν πρεσβυτέρων λύγξ ἐπιγένηται, οὐκ ἀγαθόν.

Si senibus supra modum purgatis singultus accidat, non bonum.

Si senibus, quos iam imbecilliores, ætatis ratione, esse constat. *supra modum &c. singultus*, aut conuulsio acciderit. *non bonum*, quòd immodicam siccitatem significet, quæ suspecta est.

APH. 42 ARGVM.

Quæ febres ex calidæ aquæ balneo vsum aliquem senserunt.

ΗΝ πυρετὸς μὴ ἀπὸ χολῆς ἔχῃ, ὕδατος πολλοῦ καὶ θερμοῦ καταχεομένου κατὰ τῆς κεφαλῆς, λύσις τοῦ πυρετοῦ γίνεται.

Si febris sit nõ ex bile orta, multa aqua

calida capiti superfusa febrem soluit. Si *febris sit non ex bile orta*, nec putrida, sed ephemera vel ethica. *multa aqua calida &c.* per balneum. *febrem soluit*, nam calor præter naturam remouetur, & totus corporis habitus sæpe refrigeratur.

APH. 43 ARGVM.

Mulierem ob naturæ imbecillitatem non nasci ambidextram.

Γυνὴ ἀμφιδέξιος οὐ γίνεται.
Mulier non fit amphidexia.

Mulier non fit amphidexia, magna ex parte, nec manus ambas robustas habet, propter naturæ imbecillitatē.

APH 44 ARGVM.

Qua ratione deprehēdere liceat, num supputati dum vruntur aut secantur, ex morbo euadere queant, an non.

Ὁκόσοι ἔμπυοι καίονται ἢ τέμνονται, ἢν μὲν τὸ πύον καθαρὸν ῥυῇ καὶ λευκὸν, περιγίνονται. ἢν δὲ ὕφαιμον καὶ βορβορῶδες, καὶ δυσῶδες, ἀπόλλυνται.

Si empyis quum vruntur aut secantur

tur purum & album pus effluat, euadunt: si vero subcruentum fæculentúmque & fœtidum, pereunt.

Si empyis, suppuratis inter thoracem & pulmonem pus habentibus. *vruntur*, ferro candente. *aut secantur*, inter quartam & quintam costam. *si purum, & album pus effluat*, læuéq; & æquale. *euadunt*, significat enim naturam validam fuisse, & affectum præter naturam deuicisse. *si vero subcruentū & &c.* pus effluxerit. *pereunt*, significat enim morbi victoriam, facultatúmque casum, atque adeò has putredinē superasse.

APH. 45 ARGVM.

Exemplo suppurationis quæ in iecore fit, quod supra dixit confirmat.

Ὁκόσοι τὸ ἧπαρ διάπυον καίονται, ἢν μὲν τὸ πύον καθαρὸν ῥυῇ καὶ λευκὸν, περιγίνονται. ἐν χιτῶνι γὰρ τὸ πύον τουτέοισίν ἐστιν. ἢν δὲ οἷον ἀμόργη ῥυῇ, ἀπόλλυνται.

Quibus purulentum iecur aduritur, si purum pus effluat & album, salui fiunt. in tunica enim ipsis pus contine-

tur: si vero qualis amurca profluat, intereunt.

Quibus purulentum iecur aduritur, suprà iecoris regionem. *si purum pus &c. salui fiunt. in tunica enim*, in ea membrana quæ peritonæum dicitur, iecori tenuius obductum. *pus continetur*, & iecoris substantia nihil patitur. *si verò qualis amurca*, olei fex. *profluat, intereunt*, alteratricem enim facultatẽ imbecillam esse & corruptionem vsque ad iecoris carnem & substantiam peruenisse significat.

APH. 46 ARGVM.

Ὀδύνας ὀφθαλμῶν ἄκρη τὸν πόσιας ἢ λούσιας πολλῷ θερμῷ, φλεβοτομεῖ.

Dolores oculorum post meraci vini potum & aquæ calentis balneum, venæ sectione curato.

Dolores oculorum, adulterinus omnino est hic Aphorismus & à quodam sciolo insertus, doctrinæ Hippocratis minimè cõueniẽs, explodẽdus igitur.

APH. 47 ARGVM.

Ὑδρωπιῶντα ἢν βὴξ ἔχῃ, ἀνέλπιστός ἐστιν.

Si hydropicum tußis habeat, desperatus est.

Si hydropicum &c. expositus est hic Aphorismus suprà Aphorismo trigesimo quinto libri sexti.

APH. 48 ARGVM.

Vrinæ stillicidij à frigiditate, & difficultatis à craßis & glutinosis humoribus prouenientis, curatio docetur.

Στραγγουρίην καὶ δυσουρίην θώρηξις καὶ φλεβοτομίη λύει. τέμνειν δὲ τὰς ἔσω φλέβας.

Stranguriam & dysuriam thorexis & venæ sectio soluit. Incidendæ autem sunt interiores.

Stranguriam, à frigiditate prouenientem. *& dysuriam*, mingendi difficultatem à crassis & glutinosis humoribus, flatuosóque spiritu, genitam. *thorexis*, vini meraci potio, dissoluens & discutiens, sanat. *& venæ soluit*, inflãmationem, si qua sit, mitigans, modo virtus valida sit.

APH. 49 ARGVM.

In angina noxios humores ad exte-

riora ferri, bonum.

Ὑπὸ κυνάγχης ἐχομένῳ οἴδημα καὶ ἐρύθημα ἐν τῷ στήθει ἐπιγινόμενον, ἀγαθόν· ἔξω γὰρ τρέπεται τὸ νούσημα.

Ab angina detento tumor & rubor in pectore superueniens, bonum. foras enim morbus vergit.

Ab angina deteto &c. foras enim morbus vergit, & noxii humores à partib⁹ internis & nobilioribus, ad externas & ignobiliores, transferuntur.

APH. 50 ARGVM.

Cerebri corruptione incipiente, intra triduum ægrotantes perire necesse est.

Ὁκόσοισιν ἂν σφακελισθῇ ὁ ἐγκέφαλος, ἐν τρισὶν ἡμέρῃσιν ἀπόλλυνται. ἢν δὲ ταύτας διαφύγωσιν, ὑγιέες γίνονται.

Quibus cerebrum syderatum est, intra tres dies intereunt: si verò hos superauerint, sani fiunt.

Quibus cerebrũ syderatũ est, sphacelatũ & corrũpi incœpit. *intra tres dies intereunt*, propterea quòd malum sit grauissimum, pársq; male affecta maximè princeps. *si verò hos superauerint,*

rint, sani sunt, quippe vires esse robustas constat, quæ corruptionem superare possunt.

APH. 51 ARGVM.

Exprimuntur causæ duæ sternutamenti, quod principium suæ generationis habet naturæ motũ, spiritum flatuosum ex capite excernere cupientis.

Πταρμὸς γίνεται ἐκ τῆς κεφαλῆς, διαθερμαινομένου τοῦ ἐγκεφάλου, ἢ διυγραινομένου τοῦ ἐν τῇ κεφαλῇ κενοῦ. ὑπερχεῖται γὰρ ὁ ἀὴρ ὁ ἐνεὼν ἔξω, ψοφεῖ δὲ ὅτι διὰ στενοῦ ἡ διέξοδος αὐτῷ ἐστίν.

Sternutamentum cietur ex capite cerebro excalfacto, aut perhumectato spatio in capite inani. Aer enim intus contentus foras erumpit. Strepit autem quia per angustum ipsi est exitus.

Sternutamentum, principium suæ generationis habens naturæ motum, spiritum flatuosum ex capite expellere appetentis. *cietur ex capite*, propter causas sequentes. *cerebro excalfacto*, calor enim humores rarefacit, & in flatus conuertit, quos natura subinde per

sternutamentum expellit: quippe solus humor in capite redundans sternutamentum non excitat. *aut humectato*, humectata nimirum capitis parte inani, quæ ventriculis cerebri constat, aut id vniuersum quod cerebrum ambit. *aer enim*, & spiritus flatúsque. *intus*, cerebri nimirũ ventriculis contentus. *foras erumpit*, facultate expultrice excitata. *strepit autem*, flatuosus eiusmodi spiritus. *quia per angustum ipsi est exitus*, nimirum per narium meatum.

APH. 52 ARGVM.

Dolores iecoris vehementes, sine febre, succedente febre solui.

Ὁκόσοισιν ἧπαρ περιώδυνον ἐστὶ, τουτέοισι πυρετὸς ἐπιγενόμενος λύει τὴν ὀδύνην.

Quibus iecur vehementer dolet, ijs febris superueniens soluit dolorem.

Quibus iecur dolet, à flatu, aut pituitosa aliqua materia in flatum conuersa, idque citra febrem. *febris superueniens soluit dolorem*, flatus enim dissoluit & discutit, obstructionésque liberat.

Aphor.

APHOR. 53.

OΚόσοισι συμφέρει αἷμα ἀφαιρεῖσθαι ἀπὸ τῶν φλεβῶν, τουτέοισι χρὴ πρὸς φλεβοτομεῖσθαι.

Quibus ſanguinem è venis detrahere conducit, iis vere ſecanda eſt vena.

Quibus ſanguinem è venis, ſuprà abundè expoſitus eſt hic Aphoriſmus, nempe lib.6. Aphoriſmo 47.

APHOR. 54 ARGVM.

Naturam interdum pituitam inter ſeptum tranſuerſum & ventrem concluſam, dolorémque inferentem, per latentes vias ad venas, & ab iis à veſicam, tranſmittere.

OΚόσοισι μεταξὺ τῶν φρενῶν καὶ τῆς γαστρὸς φλέγμα ἀποκλείεται, καὶ ὀδύνην παρέχει οὐκ ἔχον διέξοδον εἰς οὐδετέρην τῶν κοιλιῶν, τουτέοισι κατὰ τὰς φλέβας ἐς τὴν κύστιν βαπέντος τοῦ φλέγματος, λύσις γίνεται τῆς νόσου.

Quibus inter ventriculum & ſeptum tranſuerſum pituita concluditur, & dolorem adfert in alterutrum ventrem viam non habēs, iis per venas in veſicā

verſa pituita morbi fit ſolutio.

Quibus inter ventriculum & ſeptũ, laxius nimirum ſpatium, quod eſt infrà ſeptum tranſuerſum, & intra peritoneum, quod iuxta abdomen eſt. *pituita concluditur & dolorem adfert,* ſua tenſione. *non habens viam,* poſtquam illuc delata eſt, neque ad alterã cauitatem tranſmitti poteſt. *his per venas,* & occultas vias. *in veſicam,* expulſa per vrinas ipſa pituita. *morbi fit ſolutio,* terminatio & finis.

APHOR. 55 ARGVM.

Iecur aqua plenum habentes, vt plurimum mori, præſertim ſi ad omenti regionem eruperit: ijs quippe aqua venter impletur.

ΟΚόσοισιν αὖ τὸ ἧπαρ ὕδατος πλησθὲν εἰς τὸ ἐπίπλοον ῥαγῆ, τουτέοισιν ἡ κοιλίη ὕδατος ἐμπιμπλᾶται, καὶ ἀποθνήσκουσιν.

Quibus iecur aqua refertum eruperit in omentum, his venter aqua expletur, atque moriuntur.

Quibus iecur aqua refertum, & membrana extrinſecus idipſum ambiens,

multas vesicas aqua plenas obtinet. *in omentum eruperit*, atque adeò in locũ peritonæi, quod iuxta abdomen est, ipsa illa aqua effunditur. *his venter aqua expletur*, totàque cauitas quæ infrà thoracem est. *atque moriuntur*, nisi ope naturæ, aut medicamenti admotione seruentur.

APHOR. 56 ARGVM.

Anxietudinem, oscitationem, horrorem, curari per vini cum aqua potione aquæ mixtionem.

Ἀλύκη, χάσμη, φρίκη, οἶνος ἴσος ἴσῳ πινόμενος, λύει τὴν νοῦσον.

Anxietudinem, oscitationem, horrorem, vinum pari aquæ portione epotum, soluit.

Anxietudinem, oscitationem, ab humiditate flatuosa ortam. *horrorem*, à prauis humoribus, qui per cutem dimouentur, ortum. *Vinum pari aquæ &c. soluit*, quippe moderato suo calore in corpus digestũ, eas quæ infestant materias, & mala quæ efficiunt, expellit & vacuat, reliquúmque temperat.

APH. 57.

OΚόσοισιν ἐν τῇ οὐρήθρῃ φῦμα γίνεται, πυέοισι διαπυήσαντος καὶ ἐκραγέντος, λύεται ὁ πόνος.

Quibus in meatu vrinario generatur tuberculum, vbi suppurauerit & eruperit, doloris fit solutio.

Quib⁹ in meatu vrinario, suprà quoque expositus hic Aphorismus, nempe lib.4. Aphor.82.

APHOR. 58 ARGVM.

Eos fieri mutos quorum cerebrum ob ob causam aliquam externam concussum est.

OΚόσοισι δ' ἂν ὁ ἐγκέφαλος σεισθῇ ὑπό τινος προφάσιος, ἀνάγκη ἀφώνους γενέσθαι παραχρῆμα.

Quibus occasione aliqua cerebrũ fuerit vehementer concussum, mutos protinus fieri est necesse.

Quibus occasione &c. concussum, nimirum ob casum ex alto loco, aut ictũ capitis. *mutos protinus fieri &c.* vocémque amittere, adeóque omnes alios motus voluntarios.

Aphor.

APHOR. 59 ARGVM.

Famem adhibendã pituitosas & molles carnes habentibus.

ΤΟῖσι σώμασι τοῖσιν ὑγρὰς τὰς σάρκας ἔχουσι δεῖ λιμὸν ἐμποιέειν. λιμὸς γὰρ ξηραίνει τὰ σώματα.

Corporib⁹ humida carne præditis perferẽda fames est. Nam fames siccat corpora.

Corporibus humida carne præditis, pituitosa nimirum & molli. *perferenda fames est*, non quidem omnimoda aut diuturna ciborum detractio, sed mediocris, & quæ ad carnium humiditatem corrigendam sufficiat. *nam fames siccat corpora*, idque per accidẽs nam calor natiuus non habens quo pascatur, carnium humiditatem depascitur & exsiccat.

APHOR. 60.

ΟὔΚ ἂν ἐν ὅλῳ τῷ σώματι μεταβολαὶ, καὶ τὸ σῶμα καταψύχηται, καὶ πάλιν θερμαίνηται, ἢ χρῶμα ἕτερον ἐξ ἑτέρου μεταβάλλῃ, μῆκος νόσου σημαίνει.

Vbi toto corpore mutatio, & corpus refrigeratur vicißimque calefit, aut colorem alium ex alio mutat, morbi significatur longitudo.

Vbi toto corpore mutatio &c. & Aphorismus iste fusè suprà enarrat⁹ est, nimirum lib. 4. Aphor. 40.

APH. 61 ARGVM.

Ὑδρὼς πολὺς θερμὸς ἢ ψυχρὸς ῥέων αἰεὶ, σημαίνει ἔχειν πλησμονὴν ὑγροῦ. ἀπάγειν οὖν χρὴ τῷ μὲν ἰσχυρῷ, ἄνωθεν, τῷ δὲ ἀσθενεῖ, κάτωθεν.

Sudor multus calidus aut frigidus semper fluens, humiditatem in robusto quidem supernè, imbecillo verò infernè vacuandam esse demonstrat.

Sudor multus calidus aut &c. est & hic Aphorismus per alium quendam adiectus, cuius initiũ ab Aphorismo 42. libri quarti, nihil distat.

APHOR. 62.

Οἱ πυρετοὶ οἱ μὴ διαλείποντες, ἢν ἰσχυρότεροι διὰ τρίτης γίνωνται, ἐπικίνδυνοι. ὅτῳ δ' ἂν τρόπῳ διαλείπωσι, σημαίνει ὅτι ἀκίνδυνοι.

Si febres tertio quoque die vehementiores fiunt, nec intermittunt, periculosæ: Quoquo modo autem intermiserint, periculo vacare significatur.

Si febres tertio quoque die, &c.

APHOR. 63

Ὁκόσοισι πυρετοὶ μακροὶ, τουτέοισιν ἢ φύματα, ἢ ἐς τὰ ἄρθρα πόνοι ἐγγίνονται.

Quibus febres longæ, his tubercula in articulis, aut labores fiunt.

Quibus febres longæ &c.

APHOR. 64.

Ὁκόσοισι φύματα μακρὰ, ἢ ἐς τὰ ἄρθρα πόνοι ἐκ πυρετοῦ γίνονται, οὗτοι σιτίοισι πλείοσι χρέονται.

Quibus longa tubercula, aut in articulis labores à febre fiunt, hi copiosiore cibo vtuntur.

Quibus longa tubercula &c,

Constat hos tres Aphorismos perperam quoque interpositos fuisse, ni-

hil aut parum à superioribus differentes, quos quarto explanauimus libro.

APHOR. 65.

ΗΝ τις τῷ πυρέσσοντι τροφὴν διδῷ, τῷ μὲν ὑγιαίνοντι ἰσχὺς, τῷ δὲ κάμνοντι νόσος.

Si quis febricitanti cibum præbeat, quem sano exhibet, valenti robur, ægrotanti morbus fit.

Si quis *febricitanti &c.* inter adulterinos & suppositítios est hic Aphorismus, absurda quædam continens.

APHOR. 66. ARGVM.

Quæ sanis similia bona esse, quæ iisdem dissimilia, mala.

ΤΑ' διὰ τῆς κύστιος διαχωρέοντα ὁρᾷν δεῖ εἰ οἷα τοῖς ὑγιαίνουσιν ὑποχωρέεται. τὰ ἥκιστα οὖν ὅμοια τουτέοισι, ταῦτα νοσωδέστερα. τὰ δὲ ὅμοια τοῖσιν ὑγιαίνουσιν, ἥκιστα νοσερά.

Quæ per vesicam permeant spectare oportet, an talia sint qualia secunda valetudine subeunt. Nam quæ his minimè sunt similia, insalubriora: quæ verò valenti-

lentibus similiora, minimè insalubria.

Quæ per vesicam permeant, siue sit vrina, siue sedimētum, eneorema aut nebulæ. *spectare oportet &c.* Nam *quæ &c.* omnino morbosissima, pro recessu à naturali similitudine magno aut paruo.

APH. 67 ARGVM.

Nullum aut paucum esse morbum pro ramentorum multitudine aut paucitate.

Καὶ οἷσι τὰ ὑποχωρήματα, ἢν ἐάσῃς στῆναι καὶ μὴ κινήσῃς οἱονεὶ ὑφίσταται ξύσματα καὶ ἢν ὀλίγα ᾖ, ὀλίγη ἡ νοῦσος γίνεται. ἢν δὲ πολλά, πολλή, τουτέοισι ξυμφέρει ὑποκαθῆραι τὴν κοιλίην. ἢν δὲ μὴ καθαρὴν ποιήσας διδῷς τὰ ῥοφήματα, ὁκόσα ἂν πλείω διδῷς, μᾶλλον βλάψεις.

Et quibus hypochoremata si residere permiseris nec moueris, subsident veluti strigmeta, quæ si pauca sint paruus morbus est, si verò multa, magnus, his aluũ inferne purgari cōducit. Alioqui si nō repurgata aluo sorbitiones exhibueris, quāto plures dederis, tanto magis offenderis.

Et quibus hypochoremata ſi ſtare permiſeris, in vaſe in quo ſũt excreta. *ſubſident ueluti ſtrigmenta*, & ramenta in fundo vaſis. *quæ ſi pauca ſint*, ramenta illa nimirum. *paruus eſt morbus*, & non intenſus. *ſi uero multa*, ſunt eiuſmodi ramenta in fundo vaſis. *magnus*, eſt morbus, & intenſus. *his aluum &c. alioqui ſi &c. ſorbitiones*, & cibos per modum potus acceptos. *quanto plures &c. magis offenderis*, quòd hæ facilè in prauum humorem vertantur.

APHOR. 68 ARGVM.

Qui cruda per inferiora deyciunt, ys bilis atra adeſt, ſi plura plus, ſi pauciora minus.

Ὁκόσα αἱ κάτω ὠμὰ διαχωρέῃ, ὅτι χολῆς μελαίνης ἔνεστιν, ἢν πλείω, πλείων, ἢν ἐλάσσω, ἐλάσσων ἡ νοῦσος.

Quibus cruda deorſum ſubeunt, ab atra bile: ſi plura copioſiore, ſi pauciora, minore.

Quibus cruda, excrementa cruditatis notam manifeſtam habentia. *ſubeunt*, per inferiora. *ab atra ſunt bile*,

per quam refrigerata coctionis instrumenta deterius coquunt, & deprauatæ coctionis speciem efficiunt. *si plura*, cruda excrementa. *copiosiore*, atra bile. *si pauciora*, *minore*, minorẽ atræ bilis quantitatem ostendunt.

APHOR. 69.

AI ἀποχρέμψιες αἱ ἐν τοῖσι πυρετοῖσι τοῖσι μὴ διαλείπουσι αἱ πελιδναὶ, καὶ αἱματώδεες, καὶ χολώδεες καὶ δυσώδεες πᾶσαι κακαί. ἀποχωρέουσαι δὲ καλῶς, ἀγαθαί. καὶ κατὰ κοιλίην, καὶ κύστιν, καὶ ὅκου ἄν τι ἀποχωρέον στῇ μὴ κεκαθαρμένον, κακόν.

Excreationes in febribus nõ intermittentibus liuidæ, cruentæ, biliosæ, fœtidæ omnes malæ. Commode tamen si prodeant, bonæ. Per aluum etiam & uesicam & quacunque corporis prodeat aliquid si non purgatum restiterit, malum.

Excreationes in febribus, &c. expositus est supra Aphorismo 47. lib. 4.

APHOR. 70.

TA σώματα χρὴ ὅκου τις βούλεται καθαίρεσθαι, εὔροα ποιέειν. κἢν μὲν ἄνω βού-

λῆται εὔροα ποιέειν, στῆσαι τὴν κοιλίην. ἢν δὲ κάτω, ὑγρῆναι.

Corpora quum quis repurgare volet, fluxilia faciat oportet. Et si quidem suprà velit, aluus sistenda: si verò infrà, laxanda.

Corpora cum quis purgare &c. Est expositus hic Aphorismus libro secundo, Aphorismo nono.

APHOR. 71

Υπνος, ἀγρυπνίη, ἀμφότερα μᾶλλον τοῦ μετρίου γινόμενα, νοῦσος.

Somnus & vigilia modum si excesserint, morbus.

Somnus & vigilia &c. Suprà quoque expositus Aphorismo 3. libri 2.

APHOR. 72.

Ἐν τοῖσι μὴ διαλείπουσι πυρετοῖσιν, ἢν τὰ μὲν ἔξω ψυχρὰ ᾖ, τὰ δὲ ἔσω καίηται, καὶ δίψαν ἔχῃ, θανάσιμον.

In febribus non intermittẽtibus, si externa frigeant, interna vrantur, & febris adsit, est mortiferum.

In febribus non intermittentibus &c. abundè

abundè hic quoque enarratus suprà libro 4. Aphorismo 48.

APHOR. 73.

ΕΝ μὴ διαλείποντι πυρετῷ, ἢν χεῖλος, ἢ ῥὶς, ἢ ὀφθαλμὸς, ἢ ὀφρὺς διαστραφῇ, ἢν μὴ βλέπῃ, ἢ μὴ ἀκούῃ, ἤδη ἀσθενὴς ἐὼν, ὅ τι ἂν τουτέων γένηται, θανάσιμον.

In febre non intermittente si labrum aut nasus, aut oculus, aut supercilium peruertatur si non videat, si non audiat: quicquid horum ægro debili acciderit, in propinquo mors.

In febre non intermittente &c. antea quoque expositus, libro quarto, Aphorismo 49.

APH. 74 ARGVM.

Pituita alba toto corporis habitu redundantes, facilè in leucophlegmatiam & hyposarcam incidere.

ΕΠὶ λευκῷ φλέγματι, ὕδρωψ ἐπιγίνεται.

Albæ pituitæ aqua intercus superuenit.

Albæ pituitæ, quæ per totum corpus

abundat. *aqua intercus superuenit*, non quidem omnis, sed quæ à Græcis leucophlegmatia, aut hyposarca & anasarca dicitur.

APHOR. 75 ARGVM.

Diuturno alui profluuio & in quo deiectiones synceræ sunt, difficultates intestinorum succedere.

Ἐπὶ διαῤῥοίῃ, δυσεντερίη.
A diarrhœa dysenteria.

A *diarrhœa*, ab alui profluuio diuturno, & in quo deiectio syncera & biliosa est. *dysenteria*, sequitur, biliosi enim humores paulatim abradunt intestina, donec in profundum subeunte erosione, prorsus exulcerentur.

APHOR. 76.

Ἐπὶ δυσεντερίῃ λειεντερίη ἐπιγίνεται.
Dysenteriæ superuenit lienteria.

Dysenteriæ superuenit &c. pars est Aphorismi 43. lib. 6.

APH. 77 ARGVM.

Et carnis & ossis corruptionem, ossis abscessum sequi.

EΠὶ σφακελισμῷ, ἀπόςασις ὀςέου.
Ab sphacelismo ossis abscessus.

Ab sphacelismo, putrefactione & mortificatione alicuius partis. *ossis abscessus*, succedit, nam si caro corrumpitur, corruptio ipsa ad ossa vsque procedit, quæ & ipsa læsa subinde abscedere solent, quod magis accidit si in ipso osse corruptio cœpit.

APHOR. 78.

EΠὶ αἵματος ἐμέτῳ, φθόη, καὶ τοῦ πύου κάθαρσις ἄνω.

A sanguinis vomitione tabes & puris superne purgatio.

A sanguinis vomitione &c. hic Aphorismus re vera suppositius est, & multa ab Hippocratis placitis aliena continens: aut saltem ex illius multis sententiis perperam collectus & concinatus.

APH. 79 ARGVM.

Vrinas, deiectiones, sudores, & alia eiusmodi excreta, diligenter à medico consideranda.

Ὁκοῖα καὶ ἐν τοῖσι κατὰ τὴν κύστιν, καὶ τοῖσι κατὰ τὴν κοιλίην ὑποχωρήμασι, καὶ ἐν τοῖσι κατὰ τὰς σάρκας, καὶ ἢν πῃ ἄλλῃ τῆς φύσιος ἐκβαίνῃ τὸ σῶμα, ἢν ὀλίγον, ὀλίγη ἡ νοῦσος γίνεται. ἢν δὲ πυλὺ, πολλή. ἢν πάνυ πολὺ, θανάσιμον τὸ τοιοῦτον.

Qualia quæ per vrinas & aluum ſubeunt, & quæ per carnes abeunt, & ſi qua alia corpus à natura recedat ſpectare oportet. Nam ſi parũ, paruus morbus eſt, ſi multum, magnus, ſi valde multum, iam tale fuerit pernicioſum.

Qualia per vrinas &c. conſiderare oportet, nimirũ quã habuerint qualitatem, & quantum ipſa abundauerint. *& quæ per carnes,* vt ſunt ſudores. *& ſi qua alia &c.* vt per nares, per aures, per oculos, per vterum, per hæmorrhoidas. *nam ſi parum,* excernitur & paruus fuerit exceſſus. *paruus eſt morbus: ſi multum,* excernitur & multam habeat affectionem. *magnus,* eſt morbus. *ſi valde multũ,* qualitate & quantitate excernitur. *iam tale pernicioſum.*

IOANN. LYGÆVS

beneuolo lectori.

NOVA *& inſolita huius octaui libri editione fortaſſe moueberis, cãdide lector, hunc tamen ipſum ſeptem alijs Aphoriſmorum libris ſuum numerum non auferre facile animaduertes, vbi perlegeris. Certè verorum Hippocratis Aphoriſmorum ſeptem ſolum ſunt libri, quos Galenus integrè eſt interpretatus: prætermiſit tamen non paucos, quos ab Hippocrate nec editos, nec in ordinem redactos putauit. Eos omnes in ordinem primum Muſa coiecit, & in Latinã linguã cõuertit. Ex his octauum librũ confecimus, & expoſitionem noſtram qualemcunque ſubiecimus. Cæterùm in vetuſtis Græcis codicibus ante ſequentes Aphoriſmos ſcriptum videre eſt* ἐντεῦθεν οἱ νόθοι*: hoc eſt nothi & ſpurij incipiunt Aphoriſmi. An verò Hippocratis ſint nécne, tibi iudicandum relinquo.*

Hæc omnia non ſunt in Græcis exemplaribus cõprehenſa, nec à Plantio Latinè reddita nec à Galeno commentariis illuſtrata.



APHORISMORVM LIBER OCTAVVS.

ARGVMENTVM.

Libri huius octaui & vltimi certa intentio assignari nō potest, quòd varii sint & distincti Aphorismi: ferè tamen omnes ad eam medicinæ partē, quæ futura prædicit, reducuntur.

APHORISMI PRIMI ARGVMENTVM.

Quadragenarios phrenitide prehensos raro sanari.

Qui supra quadraginta annos phrenitici fiunt, non omnino sanantur, minus enim periclitantur, quorum naturæ, & ætati morbus sit conueniens.

Qui supra quadraginta annos, nimirum in cōstante, media, & declinante

ætate

ætate constituti. *phreniticifiunt*, ob biliosam materiam superabundantem. *non omnino sanantur*, raróque conualescunt: & vt alii legunt, οὐ πάνυ σώζονται, id est, non adeò seruantur. *minus enim &c.* vt abundè expositum est sectione secunda Aphorismo 34.

APH. 2 ARGVM.

In morbis oculi illacrymantes quid significent.

Quibuscunque in morbis oculi ex causa illacrymant, bonum: quibuscunque sine causa, malum.

Quibuscunque &c. ex causa, de industria nimirum, voluntariè & consilio. *bonum*, vel vt alii legunt, οὐ κακόν, id est non malum. *quibuscunque sine causa*, non ex arbitrio, neque voluntariè. *malum*, ob causas Aphorismo 52. lib. 4. expositas.

APHOR. 3 ARGVM.

In febribus quartanis eruptionem sanguinis è naribus, malum portendere.

Quibuscunque in quartanis febribus

ſanguis è naribus effluxerit, malum.

Quibuſcunque in quartanis, à bile atra putreſcente genitis. *ſanguis è &c.* largè, copioſè & affatim. *malum*, quòd vires proſternantur, ob effatũ dignũ effluxum ſanguinis, qui bilis atræ frenum dicitur.

APHOR. 4 ARGVM.

Magnos & repentinos ſudores in decretorijs diebus factos periculoſos.

Sudores in diebus iudicatorijs ſi fiant periculoſi: præſertim qui ex fronte tanquam guttæ & fiſtulæ ſalientes pelluntur, frigidique valde atque multi: neceſſe eſt enim talem ſudorem multa vi & labore, & longa expreſſione exire.

Sudores, vehementes & celeres. *periculoſi*, nam cùm ex eorũ numero ſint, quæ corpus noſtrum euacuant, repentè & immodicè prodeuntes, vires planè deiiciunt: adde naturam repentinas & ſubitas mutationes tolerare nõ poſſe. *præſertim*, ſudores illi ſunt periculoſi. *qui ex fronte &c.* ſignificant enim magnam materiæ copiam in capite

pite esse, aut in ipsum influere. *frigidique valde &c.* plus etiam periculosi. *necesse est enim &c.* hi certè in acuta febre mortem, in mitiore verò, vbi vires adhuc constant, morbum diuturnum fore significant.

APH. 5 ARGVM.

Depreßionem alui in diuturno morbo malum portendere.

Post lõgum morbum ventris depreßio, malum.

Post longum morbum, ventris, inferioris, vtpote partium ad imum ventrem attinentium. *depreßio,* degrauatio & concidentia. *malum,* quippe calor natiuus in his imbecill⁹ est, neque proba fit coctio, neque sanguificatio, vnde vix vnquam ægri ad sanitatem reuocantur.

APH. 6 ARGVM.

Vlcera incurabilia quæ nec ferro nec igne sanantur.

Quæcunque vlcera medicamentis nõ

curantur, ferrum curat: quæ verò ferro non curantur, ignis curat: quæ verò igne non curantur, ea existimare oportet immedicabilia.

Quæcunque vlcera, putrida, mali habitus, & exedētia. *non curantur*, obseruata rationali methodo. *medicamētis*, externis tum admotis, tum intro assumptis. *ferrum curat*, & incisio. *quæ verò ferro &c.* perseuerāte adhuc mala qualitate putrida. *ignis curat*, putrentes qualitates (quæ in aliquibus nostri corporis partibus insūt) puriores reddens. *quæ verò igne non curantur*, putredine nec euicta, nec domita. *immedicabilia*, ob id à curatione medico desistendum, prædicenti futura, vt crimine vacet internecionis.

APHOR. 7.

Tabes à decimo octauo anno vsque ad trigesimum quintum potißimùm gignuntur. Expositus est hic Aphorismus lib. 5. Aphor. 9.

Sequentium Aphorismorum velut inscriptio.

Hæc quidē in acutis febribus obseruentur, vti si quis moriturus vel euasurus est dignoscamus.

APH. 8 ARGVM.

Linguam minimè nigram & aridā ægritudinem non multum vehementem ostendere.

Lingua nigra atque cruenta, cùm quid horum signorum abest, malum validum non est, & imbecilliorem luctum significat.

Lingua nigra &c. ob vehementem earum partiū, quæ circa os sunt siccitatem. *cùm quid horum,* potissimū in febribus. *malum validum non est,* neque periculosum. *& imbecilliorem &c.* atque adeò mitiorem febrem.

APH. 9 ARGVM.

Dextrum testem frigidum & conuulsum, mortem significare.

Testis dexter frigidus conuulsúsque mortiferum est.

Testis dexter, sinistro calidior, ob

eam quam cum hepate habet affinitatem. *frigidus*, quòd ad ipsum neque sanguis, neque spiritus trāsmittantur. *conuulsúsque*, ob neruum qui contrahitur & conuellitur. *mortiferum est*.

APHOR. 10 ARGVM.

Nigredinem, frigiditatē, contractionem, præter febris initium, mortem significare.

Vngues nigri, digiti pedum frigidi, demißi vel proclinati, mortem proximam esse ostendunt.

Vngues nigri, ob naturalis caloris mortificationem, *digiti pedum frigidi*, ob eiusdem caloris extinctionē. *demißi*, contracti ob conuulsionem ab inanitione. *mortem proximam &c.* ob causas superius adductas.

APHOR. 11 ARGVM.

Digitorum extrema frigida, mortem proximam ostendere.

Quod etiam digitorum extrema frigida

gida, mortem præ se ferunt.

Quod digitorum, manus ipsius. *extrema frigida*, ob natiui caloris extinctionem. *mortem præ se ferunt.*

APHOR. 12 ARGVM.

Labia præter naturam liuida, resoluta & frigida, mortem portendere.

Et labia liuida, resoluta, inuersa, & frigida si sint, mortiferum est.

Et labia liuida, ob virium imbecillitatem. *resoluta, inuersa*, contortáque, *& frigida &c.* ob natiui caloris suffocationem.

APHOR. 13 ARGVM.

Permulta futuræ mortis signa percensentur.

Si oculi caligant aut lucem auersantur: qui somno multo & æstu detinetur extra spem est.

Si oculi caligant, obscurantúrque *aut lucem auersantur*, propter debilitatē visoriæ facultatis. *qui somno mul*

to & æstu, intensáque caliditate. *detinetur, extra spem est*, & pro deplorato habetur.

APHOR. 14 ARGVM.

Signa alia futura mortis exprimuntur.

Si quis sensim rabie quadam efferatur: si quis non cognoscit, non audit, non intelligit, mortiferum est.

Si quis sensim rabie, ob bilis accensionem. *si quis non cognoscit &c.* ob virtutis animalis imbecillitatem, ex qua deinde aliæ vires prosternuntur & deiiciuntur. *mortiferum est*, ob causas superius scriptas.

APHOR. 15 ARGVM.

Ventriculi tumorem & inflationem in febribus malum portendere.

Paulo pòst morituris, signa hac sunt clara magis, ventriculi si tolluntur, tumescunt, & inflantur.

Paulò pòst &c. & inflantur, ob

tantam videlicet imbecillitatem, vt coquere non possint, nec iecur sanguificare, nec per corpus ipsum nutrimentum distribui.

Reliqua non placuit adscribere, quòd multa in se absurda, & ab Hippocratis placitis aliena contineant: cæterùm quibus hæc & alia permulta latius explicāda videbuntur, haud grauatè lampada tradidero.

FINIS.



INSIGNIORES ALIQVOT *sententiæ selectæ ex libris Aurelij Cornelij Celsi medici inter Latinos eloquentissimi.*

EX PRIMO.

1 Vt alimenta sanis corporibus Agricultura sic sanitatem ægris medicina promittit.

2 Desidia atque luxuria, hæc duo prius in Græcia corpora vitiarũt, deinde apud nos afflixerunt.

3 Sanus homo, qui & benè valet, & suæ spõtis est, nullis obligare se legibus debet, ac neque medico, neque alipta egere. Hũc oportet varium habere vitæ genus, modò ruri esse, modò in vrbe, sæpiúsque in agro nauigare, venari, quiescere interdum, sed frequentius se exercere. Siquidem ignauia corpus hebetat, labor firmat, illa maturam senectutem, his longam adolescentiam reddit.

4 Eum rectè curaturum esse dicunt, quẽ prima origo causæ non fefellerit.

5 Alij putant interesse non quid morbũ faciat, sed quid tollat.

6 Morbos non eloquentia, sed remediis curari.

curari.

7 Nam ne agricolam quidem, aut gubernatorem disputatione, sed vsu fieri.

8 Cuius rei non est certa cognitio, eius opinio certum remediũ habere nõ potest: Verum est quod ipsam curandi rationem nihil plus confert quàm experientia.

9 Neque ignorare medicum oportet quæ sit ægri natura: humidum magis, an magis siccum corpus eius sit, validi nerui an infirmi, frequens valetudo an rara, eáque cùm est, vehemens esse soleat an lenis, breuis an longa.

10 Interest enim an fatigatio morbum, an sitis, an frigus, an calor, an vigilia, an fames fecerit, an cibi viníque abundantia, an intemperantia libidinis.

11 Cùm par scientia sit, tamen vtiliorem medicum esse scias amicum, quàm extraneum.

12 Bis in die cibum capere, potiùs quàm semel, potest homo, & semper quàmpluri mum, dummodo hunc concoquat.

13 Concubitus neque nimis concupiscẽdus, neque nimis pertimescendus est: rarus, corpus excitat, frequẽs soluit. Cùm autem frequens non numero sit, sed natura ratione ætatis & corporis, scire licet eum non inutilem esse, quem corporis neq. lã-

guor neque dolor sequitur.

14 Cauendum, ne in secunda valetudine aduersæ præsidia consumantur.

15 Imbecillis stomacho, quo in numero magna pars vrbanorum, omnésque penè cupidi literarum sunt, obseruatio necessaria est, vt quod corpori vel loci vel studij ratio detrahit, cura restituat. Ex his igitur qui benè concoxit, manè tutò surget: qui parùm, quiescere debet: & si manè sur gendi necessitas fuerit, redormire: Qui nõ concoxit ex toto conquiescere, ac neque labori se, neque exercitationi, neque nego tio credere.

16 Scire licet integrũ corpus esse, cùm quotidie manè vrina alba, dein rufa est: il lud concoquere, hoc cõcoxisse significat.

17 Si lucubrandum est, non post cibum facere, sed post concoctionem.

18 Post satietatem nihil agendum.

19 Quem interdiu vel domestica vel ciuilia officia tenuerunt, huic tempus aliquod seruandum curationi corporis est. Prima autem eius curatio exercitatio est, quæ semper antecedere cibum debet: Exercitationis autem modus & finis esse debet sudor, aut certè lassitudo quæ citra fatigationem sit.

20 Nunquam vtilis est nimia satietas.

Sæpe inutilis est nimia abstinentia. Sæpe si qua intemperantia subest, durior est in potu quàm in esca.

21 Secunda mensa bono stomacho nihil nocet, in imbecillo coalescit.

22 Vbi expletus est aliquis, facilius concoquit: si quicquid assumpsit: potione aquæ frigidæ includit, tum paulisper inuigilat, deinde bene dormit.

23 Cùm quis mutare aliquid volet, paulatim debebit assuescere.

24 Neque ex salubri loco in grauem, neque ex graui in salubrem transitus satis tutus est.

25 Neq. verò ex multa fame nimia satietas, neque ex nimia satietate fames idonea est.

26 Neque ex nimio labore subitum ocium, neque ex nimio ocio subitus labor sine noxa est.

27 Periclitatur & qui semel & qui bis die cibum incontinenter contra consuetudinem assumit.

28 Quod contra consuetudinem est, nocet, seu molle seu durum est.

29 Nimis ociosa vita vtilis non est, quia potest incidere laboris necessitas.

30 Illud nosse oportet, quod ex labore sudanti frigidæ potio perniciosissima est, at-

que etiam cùm sudor se remisit, itinere fatigatis inutilis.

31 Vomitus inutilis est gracilibus & imbecillum stomachum habentibus; Vtilis est plenis & biliosis omnibus, si vel nimiū se repleruntt, vel parum concoxerunt. Nam siue plus est quàm quòd concoqui possit, periclitari ne corrumpatur non oportet: Si verò corruptum est, nihil commodius est, quàm id, qua via primùm expelli potest eiicere.

32 Deiectio autem medicamento petenda est, vbi venter suppressus parum reddit ex eóque inflammationes, caligines, capitis dolores, aliáque superioris partis mala increscunt.

33 Sed purgationes quoque vt interdum necessariæ sunt, sic vbi frequentes sunt, periculum afferunt. Assuescit enim non ali corpus, & ob hoc infirmum erit, cùm omnibus morbis obnoxia maximè infirmitas sit.

34 Vinum dilutius pueris, meracius senibus conuenit.

35 Hyeme plus esse conuenit, minus, sed meracius, bibere. At Vere paulum cibo demendum adiiciendúmq. potioni, sed dilutius tamen bibendum est. Aestate vt sæpius vtendum cibo, sic exiguo est. Per Autum-

tumnum propter cœli varietatem periculum maximum est, itaque neque sine veste, neque sine calciamentis prodire oportet: Cibo verò iam pleniore vti licet, minus sed meracius bibere.

36 Venus Hyeme non perniciosa, Vere tutissima; neque Aestate verò neq. Autumno vtilis est, tolerabilior tamen per Autũnum est. Aestate in totum, si fieri potest, abstinendum.

EX SECVNDO.

1 Saluberrimum Ver est, proximò deinde ab hoc Hyems, periculosior Aestas, Autumnus longè periculosissimus. Ex tempestatibus optimæ æquales sunt siue frigidæ: siue calidæ: Pessimæ quæ variant maximè: Quo fit vt Autumnus plurimos opprimat.

2 Saluberrimi sunt sereni dies: meliores pluuij, quàm tantùm nebulosi, optimíque Hyeme qui omni vento vacant: Aestate, quibus fauonii perflant. Si genus aliud vẽtorum est, salubriores septentrionales quã subsolani vel austrini sunt.

3 Ventus vbique ferè à mediterraneis regionibus veniens salubris, à mari grauis.

4 Aetas media tutissima est, quæ neq. iuuentæ calore, neq. senectutis frigore infestatur.

5 Longis morbis, senectus acutis adolescentia magis patet.

6 Corpus autem habilissimum, quadratum est, neque gracile neque obesum: Nã lõga statura, vt in iuuẽta decora est, sic matura senectute conficitur: Corpus gracile, infirmum: sic obesum hebes est.

7 Facilè securus est aliquis in iis qui sæpe sine periculo euasit.

8 Si speciosior & plenior aliquis & coloratior factus est, suspecta habere bona sua debet: quæ quia neque in eodẽ habitu subsistere, neque vltra progredi possunt, ferè retrò quasi ruina quadam reuoluuntur. Peius tamen signum est vbi aliquis contra consuetudinem emarcuit, & decorem colorémque amisit, quoniam in his quæ superant, est quod morbus demat: in his quæ desunt, non estquod ipsum morbum ferat.

9 Mali morbi testimonium est vehemẽter ex cerebro spirare.

10 Vomitus syncerae pituitæ vel bilis periculosus, peiórque si viridis aut niger est. At mala vrina est in qua subsidũt subrubra aut liuida, deterior in qua quasi fila quædã tenuia atque alba, pessima ex his si tanquam ex furfuribus factas nubeculas repræsentat, diluta quoque atque alba vitiosa est,

ſa eſt,ſed in phreneticis maximè.Aluus au tem mala eſt ex toto ſuppreſſa.Periculoſa etiam quæ inter febres fluens, conquieſce re hominem in cubili non patitur,vtique ſi quod deſcendit,eſt perliquidum, aut albidum aut pallidũ,aut ſpumans. Itẽ quod excernitur malum eſt, exiguum glutinoſum,liuidum,bilioſum,cruentum, aut peioris odoris quàm ex conſuetudine, malũ eſt & ſyncerum.Vrina verò rubra & tenuis in magna cruditate eſſe cõſueuit.Peſſima ta men eſt præcipueq; mortifera, nigra, craſſa,mali odoris. Aluus quoque varia & diſcreta reddens,peſtifera eſt: Sed ægrum in præcipiti iam eſſe denuntiat, quæ liquida, eadémq. vel nigra, vel pallida,vel pinguis eſt,vtiq. ſi magna fœditas odoris acceſsit.

11 Omne auxilium corporis aut demit aliquam materiam aut adiicit, aut euocat, aut reprimit,aut refrigerat aut calfacit,aut durat, aut mollit.

12 Sanguinem inciſa vena mitti nouum non eſt:Sed nullum penè morbum eſſe in quo non mittatur,nouum eſt.

13 In mittendo ſanguine non tam annos medicus numerare, quàm vires ægrotantis æſtimare debet.

14 Tenuioribus magis ſanguis, plenioribus magis caro abundat.

15 Satius est anceps experiri auxilium, quàm nullum.

16 Si morbi ratio patitur, sanguinis detractioni tempus aptissimum est dies aduersæ valetudinis secundus aut tertius. Sed vt aliquando etiam primo die sanguinem mittere necesse est, sic nunquam vtile post diem quartum est, cùm iam spatio ipso materia & exhausta est & corpus corrumpit, vt detractio imbecillum id facere possit, non possit integrum.

17 Quòd si vehemens febris vrget in ipso impetu eius sanguinem mittere, hominē iugulare est. Expectanda ergo remissio, & ista medicina ferè in biduum diuidenda: Satius enim est primò leuare ægrum, deinde perpurgare, quàm simul omni vi effusa fortasse præcipitare.

18 Cùm sit crudo minimè mittēdus sanguis, tamen ne id quidem perpetuum est, neque enim semper concoctionem res expectat: Nam si ex altiore loco decidit aliquis, si contusus est, si ex aliquo subito casu sanguinem vomit, quamuis paulò antè sumpsit cibum, tamen protinus ei materia demenda est: idémque etiam in aliis repentinis casibus dictum sit.

19 Mittere autem sanguinē cùm sit expeditissimum, vsum habenti, tum ignaro difficil-

difficillimum eſt, iuncta eſt enim vena arteriis, his nerui: Ita ſi neruum ſcalpellus attigit, ſequitur neruorum diſtentio ea quæ crudeliter hominem conſumit: At arteria inciſa neque coit, neque ſaneſcit, interdum etiam vt ſanguis vehementer erumpat efficit.

20 Incidenda ad medium vena eſt, ex qua cùm ſanguis erumpit, colorem habitúmque eius oportet attendere: Nam ſi is craſſus & niger eſt, vitioſus eſt, ideóque vtiliter effunditur: Si rubet & pellucet, integer eſt, eáque miſsio ſanguinis adeò nō prodeſt, vt etiam noceat, protinúſque is ſupprimendus eſt.

21 Semper antè finis faciendus eſt, quàm anima deficiat.

22 Vehementi malo niſi æquè vehemens auxilium ſuccurrere non poteſt.

23 Medicamentum non ſemper ægris prodeſt, nocet ſemper ſanis.

24 Initia morborum primùm famē ſitímque deſiderant, ipſi deinde morbi, moderationem, vt neque alius quàm expedit, neque eius ipſius nimium ſumatur. Neq; enim conuenit iuxta inediam protinus ſatietatem eſſe. Quòd ſi ſanis corporibus etiam inutile eſt, vbi aliqua neceſsitas famem fecit, quantò inutilius eſt in corpore

ægro? Neque vlla res magis adiuuat laborantem, quàm tempestiua abstinentia.

25 Plus alimenti est in carne quàm in vllo alio cibo.

26 Brassica subcruda aluum mouet, bis cocta stringit.

EX TERTIO.

1 Natura repugnãte nihil medicina proficit. Magis tamen ignoscendum medico est parum proficienti in acutis morbis quàm in longis. hîc enim breue spatium est, intra quod, si quod non profuit auxilium, æger extinguitur: ibi & mutationi remediorum & deliberationi tempus patet, adeò vt rarò, si inter initia medicus accessit, obsequẽs æger sine illius vitio pereat.

2 Illud ignorari non oportet, quòd non omnibus ægris eadem auxilia conueniũt.

3 Oportet itaque vbi aliquid non respõdit, non tanti putare authorem quanti ægrum, & experiri aliud atque aliud.

4 In acutis morbis serius æger alendus est, vt primò dempta materia impetum frangat: In longis maturius, vt sustinere spatium affecturi mali possit.

5 Multùm interest ab initio quis rectè curaturus sit, an perperam quia curatio minus hisprodest in quib. assiduè frustra fuit.

6 Omnium optimæ sunt quies & abstinentia: soláque abstinentia sine vllo periculo medetur.

7 Non dubium est quin vix quisquam, qui non dissimulauit, sed per hæc maturè morbo occurrit, ægrotet.

8 Asclepiades officium esse medici dicit, vt tutò, vt celeriter, vt iucundè curet, id votum est, sed ferè periculosa esse nimium & festinatio, & voluptas solet. Qua verò moderatione vtendum sit vt quantū fieri potest omnia ista contingant, quæritur qua ratione primis diebus æger continendus sit. Antiqui medicamentis quibusdam datis concoctionem moliebantur, eò quòd cruditatem maximè horrebant. Deinde eam materiam quæ lædere videbatur, ducendo sæpius aluum subtrahebant. Asclepiades medicamenta sustulit: aluum nō toties, sed ferè tamen in omni morbo subduxit. Febre verò ipsa infestante se remedio hoc vti professus est, conuellendas enim vires ægri putauit, luce, vigilia, siti ingenti, sic vt ne eos quidem primis diebus elui sineret. Quo magis falluntur qui per omnia iucundam eius disciplinam esse cō tendunt Is enim vlterioribus quidem diebus cubantis etiam luxuriæ subscripsit, primis verò tortoris vicē exhibuit. Ego au-

tem medicamentorum dari potiones & aluum duci non nisi rarò debere concedo. Et id non ideo tamen agendum, vt ægri vires conuellantur existimo: quoniam ex imbecillitate summum periculum est. Minui ergo tantùm exuperantem materiam oportet, quæ naturaliter digeritur vbi nihil noui accedit. Itaque abstinendum à cibo primis diebus, in luce habendus æger, nisi infirmus interdiu est, isque cubare quàm maximo conclaui debet. Quod ad sitim verò somnúmque pertinet, moderādum id est, vt interdiu vigilet, noctu, si fieri potest, conquiescat: ac neque potet, neque nimium siti crucietur. Os etiam eius elui potest, vbi & siccum est & ipsi fœtet, quamuis id tempus aptum potioni non est: Commodéque Erasistratus dixit, sæpe inferiore parte humorem non requirente, os & fauces requirere.

9 Optimum medicamentum est opportunè cibus datus, qui quando primùm dari debeat ambigitur, aliis quintum diem, aliis sextum expectantibus. Asclepiades vbi ægrum triduo per omnia fatigarat, quarto die cibum indulgebat. At Themison non quando cœpisset febris, sed quando desiisset aut certè leuata esset, & ab illo tempore expectato die tertio cibum dabat.

dabat. Nihil autem horum vtique perpetuum est:nã potest primo die dari, potest secundo,potest tertio,potest nonnisi quarto aut quinto, potest post vnam accessionem,potest post duas, potest post plures. Refert enim qualis morbus sit,quale corpus,quale cœlum,quæ ætas, quod tempus anni:miniméque in rebus multum inter se differentibus perpetuum esse præceptũ temporis potest.

10 Illud est vnum semper & vbique seruandum,vt ægri vires subindè assidens medicus inspiciat, & quandiu supererunt, abstinentia pugnet:Si imbecillitatem vereri ceperit, cibo subueniat. Id enim eius officium est, vt ægrum neque superuacua materia oneret,neque imbecillitatem fame perdat.

11 Antiquos admodũ celebres Pythagorici numeri fefellerunt,cùm hic medicus non numerare dies debeat, sed ipsas accessiones intueri,& ex his coniectare quando cibus dandus sit.

12 Ab vno medico plures sanari non possunt.

13 Scire oportet optimum cibo tempus esse febre finita.

14 Cùm ægros semper securos agere cõueniat,vt corpore tantùm non etiam ani-

mo laborent, tum præcipuè vbi cibum sumpserunt:itaque,si qua sunt quæ exasperatura sunt eorum animos, optimum est ea dum ægrotant eorum notitiæ subtrahere.

15 Periti medici est non protinus, vt venit,apprehendere manu brachium,sed primum residere hilari vultu, percontarique quemadmodum se habeat: & si quis eius metus est, eum probabili sermone lenire:tum deinde eius corpori manum admouere.

16 Medicus neque in tenebris neque à capite ægri residere debet,sed illustri loco aduersus eum, vt omnes notas ex vultu quoque cubantis perspiciat.

17 Ponendi sunt ægro varij cibi, sicut Asclepiades præcepit,tum demum vbi fastidio vrgetur,neque satis vires sufficiunt, vt paulum ex singulis degustando famem vitet.At si neque vis neque cupiditas deest, nulla varietate sollicitandus æger est, ne plus assumat quàm concoquat. Neque verum est quod ab eo dicitur, facilius concoqui varios cibos : eduntur enim facilius, ad concoctionem autem materiæ genus & modus pertinent.

18 Neque inter magnos dolores, neque increscente morbo tutum est ægrum im-

pleri cibo,sed vbi inclinata iam in melius valitudo est.

19 Id quoque videndum est quòd quidã solum præcipiunt,an astrictum corpus sit, an profluat. Nam si astrictum est,ducenda aluus est, mouenda vrina,eliciẽdus sudor: contra si profluet,sudor coercendus,quies adhibenda erit,tenebris somnóque quandocunque volet vtendum, nonnisi leui gestatione corpus agitandum, & pro genere mali subueniendum.

20 In febre pestilente minimè vtile est aut fame aut medicamentis vti,aut ducere aluum. Si vires sinunt, sanguinem mittere optimum est, præcipuéque si cum dolore febris est.

21 Non facile sanguinem mittere, non facile ducere aluum,non cruciare vigilia faméve aut nimia siti,non vino curare satis conuenit.

22 Cùm verò in summo incremento morbus est,vtique non ante diem. quartũ magna siti antecedẽte,frigida aqua copiosè præstanda est,vt bibat etiam vltra satietatem,& cùm iam venter & præcordia vltra modum repleta sunt satísque refrigerata,vomere debet. Quidam ne vomitum quidem exigunt,sed ipsa aqua frigida tantum ad satietatem data pro medicamento

vtuntur. Vbi vtrumlibet factum est, multa veste operiendus est & collocandus vt dormiat, fereque post longam sitim & vigiliam, post multam satietatem, post infractum calorem, plenus somnus venit, per quem ingens sudor effunditur: idque præsentissimum auxilium est: sed in his tamē in quibus præter ardorem nulli dolores, nullus præcordiorum tumor, nihil prohibens vel in thorace, vel in pulmone, vel in faucibus, non vlcus, non defectio, non deiectio, non profluuium alui fuit.

23 Est etiam obseruatio necessaria qua quis in pestilentia vtatur adhuc integer, cùm tamen securus esse non possit: Tum igitur oportet peregrinari, nauigare, gestari, ambulare sub dio ante æstum leuiter, vitare fatigationem, cruditatem, frigus, calorem, libidinem: multóque magis se continere si qua grauitas in corpore est, tum neque mane surgendum, neque pedibus nudis ambulandum est, non vomendum, neque mouenda aluus, neque etiamsi mota est per se comprimenda: abstinendū potius, itémque vitādum balneum, sudor, meridianus somnus vtique si cibus antecessit, qui tamen semel die commodius assumitur, insuper etiam modicus ne cruditatem moueat. Alternis diebus inuicem

modò

modò aqua, modò vinum bibendum est. Quibus seruatis, ex reliqua victus consuetudine quàm minimum mutari debet.

24 Sed cùm eadem omnibus conuenire non possunt, ferè quos ratio non restituit, temeritas adiuuat.

25 Sæpe etiam pertinacia iuuantis, malũ corporis vincit.

26 Quartana febris neminem iugulat, vetus quartana rarò nisi Vere soluitur.

27 Si quartana quieuit diu, meminisse eius diei conuenit, eóque vitare frigus, calorem, cruditatem, lassitudinem, facilè enim reuertitur nisi à sano quoque aliquandiu timetur.

28 Est qui fugiens horrorem febrilem ante accessionem vtiliter edat allium, aut bibat aquam calidam cum pipere, siquidem ea quoque assumpta calorem mouẽt qui horrorem non admittit.

29 Ex phreneticis alij hilares, alij tristes sunt, alij facilius continentur & intra verba desipiunt, alij consurgunt & violenter quadam manu faciunt, atque ex his ipsis alij nihil nisi impetu peccant, alij etiam artes adhibent, summámque speciem sanitatis in captandis maiorum operum occasionibus præbent, sed exitu deprehenduntur. Ex his autem eos qui intra verba desi-

piunt,aut leuiter etiam manu peccant,onerare asperioribus coercitionibus superuacuum est:eos verò qui violentius se gerunt,vincire conuenit,ne vel alteri vel sibi noceant. Neque credendum est si vinctus aliquis dum leuari vinculis cupit, sanum iam se fingat, quamuis prudenter & miserabiliter loquatur, quoniam is dolus insanientis est. Aduersus omnium sic insanientiũ animos gerere se pro cuiusque natura necessarium est.

30 Asclepiades perinde esse dixit his sanguinem mitti,ac si trucidentur, rationem hanc sequutus,quod neque insania esset nisi febre intenta, neque sanguis nisi in remissione eius rectè mitteretur.

31 Omnibus sic affectis somnus & difficilis & præcipuè necessarius,sub hoc enim plerique sanescunt.

Somnus illis medicamentis accersendus est quæ soporifera sunt, habita scilicet eadem moderatione quæ hîc necessaria est, ne quem obdormire volumus, excitare postea non possimus.

32 Neque ignorare oportet leniorem esse morbum cùm risu quàm seriò insanientium.

33 Aquæ inter cutem tres species sunt: his communis est humoris nimia abun-

dantia, ob quam ne vlcera quidem in his ægris facilè sanescunt.

34 Facilius in seruis quàm in liberis tollitur hydropisis, quia cùm desideret famē, sitim, mille alia tædia, longámque patientiam, promptius his succurritur qui facilè coguntur, quàm quibus inutilis libertas est. Sed ne hi quidem qui sub alio sunt, si ex toto sibi temperare non possunt, ad salutem perducuntur. Ideóque non ignobilis medicus Chrisippi discipulus apud Antigonum regem amícum quendam eius notæ intemperantiæ, mediocriter eo morbo implicitum, negauit posse sanari. Cúmque alter medicus Epirotes Philippus se sanaturum polliceretur, respondit illum ad morbum ægri respicere, se ad animum. Neque eum res fefellit. Ille enim cùm summa diligentia non medici tantummodo sed regis custodiretur, tamen malagmata sua deuorando bibendóque suam vrinam se præcipitauit.

35 Inter initia non difficillima curatio est, si imperata sunt, quies, sitis, inedia. At si malum inueterauit, non sine magna molestia discutitur.

36 Multùm ambulandum, currendum aliquando est, superiores maximè partes sic perfricandæ vt spiritum ipse contineat,

euocandus est sudor non exercitatione tā-
tummodò, sed etiam in arena calida, vel la
conico, vel clibano, similibúsque aliis, ma
ximéque vtiles naturales & siccæ sudatio-
nes sunt, quales super Baias habemus in
myrtetis. Balneum atque omnis humora-
lienus est, ac proinde vaso utendum

37 Potio non vltra danda est quàm vt vi
tam sustineat, optimáque est quæ vrinam
mouet.

38 Non alienum erit metiri potionem
hydropici & vrinam, nam si plus humo-
ris excernitur quàm assumitur, ita demùm
secundæ valetudinis spes est.

39 Qui de phthysi dubitant an sit, hac no
ta vtuntur: Quod excreatum est si in ignē
impositum mali odoris est.

40 Lac quod in capitis doloribus & in
acutis febribus pro veneno est, in phthysi
tamen sicut in omnibus longis difficili-
búsque febriculis rectè dari potest.

EX QVARTO.

1 Vno die fluere aluum sæpe pro valitudi
ne est, atque etiam pluribus, dum febris
absit, & intra septimum diem conquies-
cat: Purgatur enim corpus, & quod intus
læsurum erat, vtiliter effunditur. Verùm
spacium periculosum est: interdum enim

tormina

tormina & febriculas excitat, viréſque cõſumit:interdum autem euenit vt id neglectum pluribus diebus curari difficillimum ſit.

2 Medicamentis vti niſi in vehementibus malis ſuperuacuum eſt, quia agri

3 Podagricis equitare alienum eſt.

4 Quibus articulorum dolor certis temporibus reuertitur, hos à curioſo victu cauere oportet, ne inutilis materia corpori ſuperſit.

EX QVINTO.

1 Medicamentorum vſum magna ex parte Aſclepiades non ſine cauſa ſuſtulit, cùm omnia ferè ſtomachum lædãt, malíque ſucci ſint: ad ipſius victus rationem potius omnem ſuam curam tranſtulit. Verùm vt illud in pleríſque morbis vtilius eſt, ſic multa admodum corporibus noſtris incidere conſueuerunt, quæ ſine medicamentis ad ſanitatem peruenire non poſſunt. Illud ante omnia ſcire conuenit, quòd omnes medicinæ partes ita innexæ ſunt, vt ex toto ſeparari non poſſint, ſed ab eo nomen trahant à quo plurimum petunt. Ergo vt illa quæ victu curat, aliquando medicamentum adhibet, ſic illa quæ præcipuè medicamentis pugnat, adhibere e-

ciam rationem victus debet, quæ multum admodum in omnibus malis corporis proficit.

2 Vti somniferis nisi nimia necessitas vrget alienum est: sunt enim ex vehementibus medicamentis & stomacho alienis.

3 Est prudentis hominis primùm eum, qui seruari non potest, non attingere, ne videatur occidisse quem sors ipsius peremit. Deinde vbi grauis metus est, sine certa tamen desperatione, indicare necessariis periclitantis in difficili rem esse, vt si victa ars malo fuerit, vel ignorasse vel fefellisse non videatur. Sed vt hæc prudenti viro conueniunt, sic rursus hystrionis est paruam rem attollere, quò plus præstitisse videatur.

4 Dubia spes certa desperatione est potior.

FINIS.

pour jouir d'une bonne santé ; il faut éviter les excès en tout genre ; prendre de l'exercice tous les jours pour dissiper les humeurs et les prévenir : il faut aussi avoir le soin de conserver un certain enjoûment dans toutes nos actions, et de se former un tempérament gai.

les maladies ne sont occasionnées que par l'abondance des humeurs ou du sang : ensuite que l'on peut les guérir par la diète ; parceque l'on diminue ainsi, la masse du sang, et l'on empêche

qu'il ne s'en forme de nouveau
; de même la diète est bonne
pour dissiper les humeurs,
parceque les acides qui servent
à la digestion n'ayant point
de matière sur laquelle ils
puissent s'exercer, ils
divisent les humeurs, jusqu'
au point de les rendre
propres à sortir du corps
par la transpiration ou les
selles :
un homme qui se porte bien
peut sans risque manger
de toute sorte d'aliments
jusqu'à ce qu'il ait éprouvé
qu'ils lui sont contraires.

les convalesants ne doivent pas beaucoup manger à la fois mais peu et souvent. parceque leur estomach étant encor faible ne peut digérer beaucoup d'aliments, en sorte que le chyle qui en résulte forme plutôt des humeurs que du sang, parceque les parties ne sont pas assez divisées . . .
il est fort nuisible de dormir après le repas et dans la nuit au moins immédiatement après le souper, parceque les esprits animaux que l'âme employe dans son action, sont nécessaires pour la digestion : ainsi elle ne peut qu'être alors fort imparfaite : ainsi

il se forme alors beaucoup
d'humeurs dans le corps
et dixe crudités dans l'esto
mach : d'ailleurs le sommeil
étant destiné a reparer
nos forces, il est bien clair
que des qu'on en prend point
les forces s'affaiblissent
de plus en plus ....

Γαληνοῦ	Ἑλληνικ. τμημ.	Latin. Class.
εἰς τὸ περὶ ~~ἄρθρων~~ ἀγμῶν,	έ.326.	3. ~~406~~. 223
~~εἰς τὸ περὶ ἄρθρων,~~	έ.578.	7.251.
εἰ κατὰ φύσιν αἷμα ἐν ταῖς ἀρτηρίαις περιέχεται,	α.221.	1.60.
περὶ αἱρέσεων τοῖς εἰσαγομένοις,	α.10.	Isag. ~~19~~ 15.
περὶ ἀρίστης αἱρέσεως,	α.16.	Isag. 19
περὶ χρείας ἀναπνοῆς,	γ.159.	1.123.
περὶ τῶν τῆς ἀναπνοῆς αἰτίων,	γ.165.	1.226.
περὶ ἀνατομικῶν ἐγχειρήσεων,	α.119.	1.63.
περὶ τὰ ἀντειρημένα τοῖς ἱπποκράτους ἀφορισμοῖς ὑπὸ Ἰουλιανοῦ,	έ.337.	Extraordin. 66.
περὶ ἀντιβαλλομένων, ~~δ~~	δ.472.	5.84.
περὶ ἀντιδότων, ~~β~~	β.423.	5.99.
περὶ δυνάμεως τῶν ἁπλῶν φαρμάκων,	β.2.	5.1.
~~εἰς τὸ περὶ ἄρθρων~~	έ.578.	7.251.
εἰ κατὰ φύσιν αἷμα ἐν ταῖς ἀρτηρίαις περιέχεται,	α.221.	1.60.
ὁ ἔλεγχον, ὅτι μηδὲν ἡμάρτηται κατὰ τὸν ἱπποκράτους ἀφορισμὸν, οὗ ἡ ἀρχή, τὰ αὐξανόμενα πλεῖστον ἔχει τὸ ἔμφυτον θερμόν,	έ.329.	extr. ord. 65.
εἰς τοὺς ἀφορισμοὺς,	έ.219.	extr. ord. 2
περὶ βδελλῶν ἀντισπάσεως, καὶ σικύας, καὶ ἐγχαράξεως καὶ κατασχασμοῦ,	δ.27.	6. cl. 2.
περὶ τῶν ἰδίων βιβλίων,	δ.361.	Isag. 14.
εἰ ζῶον τὸ κατὰ γαστρὸς, ~~δ 406~~	δ.406.	1.326.
τῶν τοῦ ἱπποκράτους γλωσσῶν ἐξήγησις,	έ.705.	

Πρὸς Θρασύβουλον, πότερον ἰατρικῆς ἢ γυμναστικῆς ἐστὶ τὸ ὑγιεινόν,	δ.287.	2.101.
Περὶ τοῦ διὰ μικρᾶς σφαίρας γυμνασίου,	δ.301.	2.48.
Διάγνωσις τῶν ἐν νεφροῖς παθῶν, καὶ θεραπεία, — —	δ.415.	7.191.
Εἰς τὸ περὶ διαίτης ὑγιεινῆς, —	ε.29.	2.39.
Εἰς τὸ περὶ διαίτης ὀξέων νοσημάτων,	ε.37.	7.108.
Περὶ ἀρίστης διδασκαλίας, —	α.6.	Isag.30.
~~Περὶ ἀνωμάλου δυσκρασίας, —~~	~~α.249.~~	~~1.43.~~
Περὶ τῶν καθ' Ἱπποκράτην καὶ Πλάτωνα δογμάτων, —	α.253.	1.23.
Περὶ φυσικῶν δυνάμεων —	α.87.	1.290.
Περὶ οὐσίας τῶν φυσικῶν δυνάμεων	α.343.	1.230.
Περὶ δυνάμεων, ἢ κράσεως τῶν ἁπλῶν φαρμάκων, —	β.2.	5.1.
Περὶ ἀνωμάλου δυσκρασίας	α.249.	1.43.
Περὶ δυσπνοίας, —	γ.166.	3.36.
Περὶ ἀνατομικῶν ἐγχειρήσεων, —	α.119.	1.63.
Εἰσαγωγή, ἢ ἰατρός, πόθεν εὕρηται ἡ ἰατρική, —	δ.371.	Isag.50.
Τίνας δεῖ ἐκκαθαίρειν, καὶ ποίοις καθαρτηρίοις, καὶ πότε, —	β.487.	5.88.
Πῶς δεῖ ἐξετάζειν τὸν προσποιούμενον νοσεῖν, — —	γ.388.	Isag.61.
Περὶ τῆς ἐξ ἐνυπνίων διαγνώσεως	γ.463.	4.213.

τῶν τῆς ἱπποκράτους γλωσσῶν ἐξήγησις,	ε.705.	
εἰς τὰ τῶν ἐπιδημιῶν,	ε.345.	3.100.
τῷ ἐπιληπτικῷ παιδὶ ὑποθήκη,	δ.28.	7.175.
περὶ εὐεξίας,	α.248.	1.39.
περὶ εὐπορίστων τῷ σόλωνι,	δ.438.	7.161.
περὶ εὐπορίστων ἄλλο,	δ.448.	7.169.
περὶ εὐχυμίας, ἢ κακοχυμίας,	δ.351.	2.33.
εἰ ζῶον τὸ κατὰ γαστρός,	δ.406.	1.326.
θεραπευτικῆς μεθόδου,	δ.34.	7.2.
τῶν πρὸς Γλαύκωνα θεραπευτικῶν,	δ.197.	7.94.
πρὸς Λύκον, ὅτι μηδὲν ἥμαρτε κατὰ τὸν ἱπποκράτους ἀφορισμὸν, οὗ ἡ ἀρχὴ, τὰ αὐξανόμενα πλεῖστον ἔχει τὸ ἔμφυτον θερμόν, ~~ε.329~~	ε.329.	extraord. 61.
περὶ θηριακῆς πρὸς Πίσωνα,	β.456.	5.89.
περὶ θηριακῆς πρὸς Παμφιλιανόν.	β.469.	5.98.
πρὸς Θρασύβουλον, πότερον ἰατρικῆς ἐστι τὸ ὑγιεινόν, ἢ γυμναστικῆς.	δ.387.	2.101.
ὅτι ἄριστος ἰατρὸς, καὶ φιλόσοφος,	α.8.	Isag. 6.
εἰς τὸ κατὰ ἰητρεῖον,	ε.661.	7.197.
πρὸς τὰ ἀντειρημένα τοῖς ἱπποκράτους ἀφορισμοῖς ὑπὸ Ἰουλιανοῦ,	ε.337.	Extr. ord. 66.
περὶ φιλοσόφου ἱστορίας,	δ.424.	Νόθ. 2.
περὶ τῶν ἐν ταῖς νόσοις καιρῶν,	γ.379.	3.85.
περὶ τῶν ὅλου τοῦ νοσήματος καιρῶν	γ.385.	3.86.
περὶ τῆς τῶν καθαιρόντων φαρμάκων δυνάμεως	β. ~~464~~ 484.	5.86.

...ίνας δεῖ ἐκκαθαίρειν, καὶ ποίοις καθαρτηρίοις, καὶ πότε,	β.487.	5.88.
περὶ κατακλίσεως προγνωστικὰ ἐκ τῆς μαθηματικῆς ἐπιστήμης,	δ'.473.	Nob.12.
περὶ αὐξήσεως κατασκευῆς τοῦ σώματος,	α'.247.	1.37.
περὶ κράσεων,	α'.9.	1.210
περὶ κρίσεων, γ'.389	[illegible]	4.145.
περὶ κρισίμων ἡμερῶν,	γ.423.	4.145.
περὶ κυουμένων διαπλάσεως,	α.213.	1.322.
~~περὶ κράσεων,~~	~~α.69.~~	~~1.10.~~
περὶ μαρασμοῦ,	γ.373.	3.45.
θεραπευτικῆς μεθόδου	δ.34.	7.2.
περὶ μελαγχολίας ἐκ τῶν γαληνοῦ, καὶ ῥούφου, κτ. ὁ κεφαλ. θ. ἐπὶ τοῦ 5. βιβλ. Αετίου-	δ.469.	Nots.109
περὶ μελαίνης χολῆς,	γ.357.	1.34.
περὶ μέτρων, καὶ σταθμῶν,	δ'.466.	5.275.
περὶ μήτρας ἀνατομῆς,	α'.210.	1.108.
περὶ χρείας τῶν ἐν ἀνθρώπου σώματι μορίων,	α'.367.	1.113.
περὶ μυῶν κινήσεως,	α'.553.	1.308.
περὶ νεύρων ἀνατομῆς	α'.209.	1.53.
πῶς δεῖ ἐξελέγχειν τοὺς προσποιουμένους νοσεῖν,	γ.388.	Hag.61.
περὶ διαφορᾶς νοσημάτων,	γ.199.	3.2.
περὶ τῶν ἐν τοῖς νοσήμασιν αἰτίων	γ.205.	3.6.
περὶ τῶν παρὰ φύσιν ὄγκων,	γ.353.	3.82.
ὅροι ἰατρικοί,	[illegible].390.	Isag.[illegible]
περὶ ὀσφρήσεως ὀργάνου	α.206.	1.210.
περὶ οὔρων,	δ'.410.	4.122
περὶ διαγνώσεως καὶ θεραπείας ἐν ἑκάστου ψυχῇ ἰδίων παθῶν	α'.352.	2.50
περὶ πλήθους, γ'.	γ.342.	3.76.
περὶ τρόμου, καὶ παλμοῦ, καὶ σπασμοῦ, καὶ ῥίγους	γ'.364.	3.51

ὅτι αἱ ποιότητες ἀσώματοι, —	δ'.493	Isag. 8.
περὶ τοῦ προγινώσκειν, —	γ'.451.	4.213.
εἰς τὸ προγνωστικὸν, —	ε'.117.	4.189.
εἰς τὸ προῤῥητικὸν, —	ε'.167.	4.160.
πῶς δεῖ ἐλέγχειν τοὺς προσποιουμένους νοσεῖν,	γ'.388.	Isag. 6.
προτρεπτικὸς λόγος πρὸς τὰς τέχνας —	α'.1.	Isag. 2.
περὶ πτισάνης, —	β'.489.	2.46.
περὶ διαφορᾶς πυρετῶν, —	γ'.330.	3.30.
~~περὶ τρόμου, καὶ παλμοῦ, καὶ σπασμοῦ, καὶ ῥίγους,~~	γ'.364	3.51.
περὶ τῶν παρὰ τὴν λέξιν σοφισμάτων, —	δ'.32.	Isag. 7.
περὶ τρόμου, καὶ παλμοῦ καὶ σπασμοῦ, καὶ ῥίγους,	γ'.364	3.51.
περὶ σπέρματος, —	α' (γ').226.	1.cl.328.
περὶ στοιχείων, —	α'.46.	1.2.
περὶ συμπτωμάτων διαφορᾶς, γ'.212.3.10.		
περὶ συμπτωμάτων αἰτιῶν —	γ'.218.	3.14.
περὶ συνθέσεως φαρμάκων τῶν κατὰ γένη, β'.312.	5.209.	
περὶ συνθέσεως φαρμάκων τῶν κατὰ γένη.	β'.312.	5.209.
περὶ συστάσεως ἰατρικῆς, —	α'.34.	Isag. 36.
περὶ διὰ μικρᾶς σφαίρας γυμνασίου, —	δ'.301.	2.48.
περὶ τῶν σφυγμῶν τοῖς εἰσαγομένοις, —	γ'.1.	4.43.
περὶ διαγνώσεως σφυγμῶν, —	~~Δ~~γ'.52	4.70.
περὶ τῶν ἐν τοῖς σφυγμοῖς αἰτίων, —	γ'.84.	4.86.
περὶ προγνώσεως σφυγμῶν, —	γ'.138.	4.204.
περὶ χρείας σφυγμῶν, —	γ'.154.	1.227.
ὅτι τὰ τῆς ψυχῆς ἤθη ταῖς τοῦ σώματος κράσεσιν ἕπεται, —	α'.344.	1.317.
ἰατρικὴ τέχνη, —	γ'.471.	Isag. 6.
περὶ τῶν πεπονθότων τόπων —	γ'.248.	4.2.
περὶ τρόμου, καὶ παλμοῦ, καὶ σπασμοῦ, καὶ ῥίγους,	γ'.363.	3.51.
περὶ τροφῶν δυνάμεως, —	δ'.303.	2.7.

πρὸς τοὺς περὶ τύπων γεγραφότας, ἢ περὶ περιόδων, γ΄. 464.	γ΄. 464	3. 91.
περὶ τύπων, γ΄. 470.	γ΄. 470.	3. 90.
ὑγιεινά,	220.	2. 62.
περὶ δυνάμεως ἢ κράσεως τῶν ἁπλῶν φαρμάκων	β΄. 2.	5. 1.
περὶ τῆς τῶν ~~[illegible]~~ καθαιρόντων φαρμάκων δυνάμεως	β΄. 484	5. 86
περὶ φιλοσόφου ἱστορίας,	δ΄. 424.	Nots. 2.
περὶ φλεβῶν, καὶ ἀρτηριῶν ἀνατομῆς,	α΄. 197.	1. 55. 6.
περὶ φλεβοτομίας πρὸς ἐρασίστρατον ~~[illegible] ἐν Ῥώμῃ~~	δ΄. 1.	5. 5.
περὶ φλεβοτομίας πρὸς ἐρασιστρατείους τοὺς ἐν Ῥώμῃ	δ΄. 7.	5. 9.
περὶ φλεβοτομίας θεραπευτικόν,	δ΄. 17.	5. 19.
εἰς τὸ περὶ φύσεως ἀνθρώπου,	ε΄. 1.	7. 181.
περὶ διαγνώσεως καὶ θεραπείας ἐν ἑκάστου ψυχῇ ἰδίων παθῶν,	α΄. 342.	2. 50.

medicina est ars conser
vandi sanitatem iis qui
eā fruuntur, et eam recupe
randi in iis qui eā priva
ntur, ac proinde potest
dividi in duas partes, unam
quae dici potest praeservativa,
alteram vero, quae dici po
test curativa